Ioannis Busæi Soc. J.

ROSARII.

HYPERASPISTES

Hoc eſt,

Bibl. Secr. Coll. Mon. Soc. Jeſu

DEPVLSIO LEVISSIMARVM CAVILLATIONVM ET NVGARVM, QVIBVS CALVINIANAE THEOLOGIAE STVDIOSVS, NESCIO QVIS

APODIXIN THEOLOGICAM PRO RITV PRECANDI ROSARIVM B. VIRG. MARIAE AB ACADEMIAE PARTHENICAE SODALIBVS MOGVNTIAE DIVVLGATAM, FRVSTRA OBSCVRARE CONATVS EST:

Edita per

M. GODEFRIDVM A DRIELL NOVIOMAGVM CATHOLICAE THEOLOGIAE IN ACADEMIA MOGVNTINENSI STVDIOSVM.

PROVERB. XXVI.

Reſponde ſtulto ſecũdum ſtultitiam ſuam.

HERBIPOLI.

Ex Officina Henrici Aquenſis. M. D. LXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IN MARIOMA-STIGEM.

HYblæis vt apes in ſaltibus omnia libans.
Dædala Sicanios cōgerit ore fauos:
Audet ſacrilego violare Roſaria rictu,
Caluini Sacro de grege Neſcio quis,
Mella legunt alij: iuuat hunc haurire venena,
Et caſſes muſcis texere araneolum.

REVERENDO EXIMIAQ; PIETATE ET DOCTRINA VIRO D. NICOLAO A DRIELL COLLEGIATAE ECCLESIAE D. STEPHANI PRAE-poſito, & B. MARIAE ad gradus Scolaſtico digniſsimo, Patruo meo in primis colendo & obſeruando, S. P.

QVOD OLIM ANAXILVS PATRVE OBSERVANDE. ἡ μουσικὴ δὲ ὥσπερ Λιβύη, πρὸς τῶν θεῶν, ἀεί τι καινόν, καθ' ἐνιαυτὸν τίκτει θηρίον: *muſicam dixit non minus, quàm Africam quotannis belluam aliquam nouam parere: mea quidem ſententia, in Franconefurtum verius. Quicquid Hercynius ſaltus, quicquid Lemannus gignit, nimis ibi, quàm facili partu, ſingulis ſemeſtribus eijcitur. nihil aliquamdiu vicini noſtri ſuppeditârant, incerta ſilentij cauſa.* Tandem AIO LOCVTIO *litârunt. Cum enim in apertum famæ campum, de* SACRATISSIMAE VIRGINIS MARIAE *Roſarium orandi ritu, in* SOCIETATIS IESV *gymnaſio theſes propoſuiſſem: coràm quidem, & in aciem illorum nemo, qui conaretur* συστάδην μάχεσθαι. *Vt verò receptui cecini, vaſa collegi, & in ſolitis ſtudiorum caſtris conquieui: ecce mihi, à Neccaro minimè nectarius, ſed necatorius nuncius, reuiruiſſe tot ſeculis emortuam Antidicomarianitarum ſtirpem. nec tamen ſui generis ſtolonem fruticaſſe: ſed monſtrificè formæ alterius ſpurium vitulamen, monſtrũ planè ſine oculis, ſine corde ſine capite: quod nec Scytaloſagittipelliger orbis perrator & ferarum domitor agnoſceret. Delatũ ad nos, vidi, obſtupui, non metu (ridiculũ potius, quam timendum) ſed admiratione. Naſcenti nomen inditũ, nec Latiũ, nec Graium, ſed hybris ex vtroq;,* Avtiroſarium, *patrem ciere non poterat, minus patriam, quare fruſtrà Diuinationem à me inſtitui intelligebam,* Quis genus, vnde domo? *hoc tantum, tremula voce (metuebat enim ne Haruſpices in Tyberim mergerent, quod procurationis expiationiſq; arcanis contineri inaudierat) ſe ab anonymo Heidelbergenſis theologiæ ſtudioſo extruſum, Equidẽ, qui Tyronibus Triarios ſubſidio mitti ſolitos didicerã, nõ Triarijs Tyrones: tacitus mecum, En*

Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt,

Addebant nonnulli, qui ſe ſcriptoris familiares prædicabant, ex Apella Caluum exſtitiſſe: id nec pro comperto tradiderim, nec omnino fieri non poſſe, vt verum ſit, contenderim. Vatinianũ namq; & gentis illius peculiare in Deiparam odium in libello elucet. Fortè hoc rei caput, cur nomen reticuerit: ne velut ſorex

iudicio periret, & quo liberiùs petulantiùs proteruiùs, ſcurrilius in eã, ex qua natus eſt IESVS, debaccharetur. Quis credat diuini honoris Zelo impulſum, qui tot blaſphemijs legentium aures, mentesq; verberat? quis veritatis amorem vllum, cui ſummũ ſtudium fucũ ſpargere, & calumnias per Rhemniæ inuſtionis cõtemptũ, nectere: & malam ex ſua nobis mentem affingere: modo voculas carpere, modo ſenſa verborum prauè detorta excipere? nec aliud ferè toto decurſu operis inuenias, præter grandia mendacia λοιδοριάς, conuitia, ſcurriles ſales, & vltrò in illos maledicta, à quibus nec verbo læſus vnquam fuit: pluria quoq; plus æquo calida, & quaſi faces incendio inuolutas ad nouas cædes & depopulationes, homini per ætatem mentis impoti, & ira efferato ſub manu nata. Indigna quibus à quoq̃ quidquid reponeretur, & quæ ſuis viribus collaberẽtur: Verũ experientia docuit, leuia & quæ meritò, deſpexis initiò, ꝓgreſſu vegetari, & adulta vix vllis viribus ſuꝑari: capi inobiles vulgi mẽtes compoſitis nugis, & penitiùs ſæpe gerras Siculas, quàm vera doctaq; dicta in hominum noſtri ſeculi animos ſe penetrare: amplius ad Catholicæ ritus Eccleſiæ deridendos, de triuio ſcommata: quàm coloris & ſucci plenas rationes, ad eoſdem ſtabiliendos, valere. Præterea ſolent Pattæciones συκοφαντικώτατοι contemptũ noſtrum, timorem interpretari: & quod ſilentio prætermus, vel prudenter diſſimulamus, vafrè illi refelli iactitãt nequiuiſſe. Hoc vnũ, hanc reſponſionẽ extorſit: non vllæ profectò in ignotum p̃ſertim tenebriorẽ, odij cauſſæ. Nam quibus ille me ꝓbris, ob Reginæ cœlorum honorẽ, aſpergit: mellis & gloriæ, quã cõtumeliæ aut fellis pleniora iudico. Quin etiã de Vitilitigatore q̃ optimè, quando & vbicũq; ſeſe occaſio offeret, mereri, vehementer deſidero. Interea Deũ Opt. Max. p̃cabor, ſanam ei vt mentẽ in ſano corpore tribuat, & ambulam hanc hederam ꝑducat ad firmũ & ſolidũ τετράγωνον λίθον, cui ſoli tutò adhæreſcimus: vt demũ vomicã intercutaneam, quà ſuos afflictari queritur (quia non Chironẽam ſed Telephiam iudico) citò perſanet. Porrò hunc laborẽ, qui immulatæ virgini deſudat, tibi Reuerende Domine nuncupandũ præ alijs iudicaui: quod tu mihi natura patruus, affectu pater, quicquid benè benignè fieri dici ue potuit, dixiſti feciſtiq; ſemꝑ, & ſtudiorum mihi meorum auctor, fautorq;, vt fuiſti, eſſe non deſinis. Ergo tantillũ grati clientis officium: quod affectæ & pluſquam octogenariæ ætati tuæ, nonnullã vt ſpero, adferet voluptatẽ: accipe, & muneri pretiũ ab affectu, non pretio ſtatue. Siquidem verũ illud, neſcio cuius: optimam dati iudicaturam, dantis animum eſſe. Deus Opt. Max. R. T. mihi omnibusq; bonis diu adhuc incolumem ſeruet. Moguntiæ. Calend. Ianuarijs. anni 1588. quem R. T. fælicisſimum iucundiſſimumq; opto.

Ven. Dom. Veſtræ addictiſsimus nepos.

M. Godefridus à Driell Nouiomagus.

ADVERSVS ANONYMVM QVENDAM CALVINIANAE THEOLOGIAE APVD HEYDELBERGENSES STVDIOSVM.

QVONIAM refutator APODIXIS TEOLOGICAE pro Catholico Ritu orandi ROSARIVM proximo anno in diſputationem à me propoſitæ, & SODALITATI B. MARIAE dedicatæ, theſium alioqui breuiſsimarum verba paſsim omiſit, vt earum ſententiam ſuis ſyllogiſmis & proſyllogiſmis liberius peruerteret; primo loco quamque theſin deſcribam, tùm CALVINISTAE anonymi cauillationibus, CATHOLICI, hoc eſt, meam Hyperaſphiſten vel Defenſionem ſubijciam. Sic enim apertiùs quiuis deprehendet, quibus ille artibus, mendacijs, nugis candidum Lectorem circumuenire conatus fuerit.

THESIS I.

RITVM precandi Roſarium Beatiſs. V. MARIAE iam olim à Chriſtianis Catholicis receptum, non eſſe vel Blaſphemum & Satanicum, vel ſuperſtitioſum, vt fabulantur Sectarij, ſed pium & religioſum, breui hoc Epicheremate demonſtramus. IN ROSARIO quinque ſunt, Nomen, Orationes, Repetitio, Numeruſquè earundem, & Calculi precarij, quæ conſtat omni ſuperſtitione vacare. Ritus igitur precandi Roſarium non eſt ſuperſtitioſus.

CALVINISTA. *Quæſtio huius diſputationis eſt.* An Ritus precandi Roſarium B. virginis Mariæ ſit ſuperſtitioſus, *hoc eſt, vt* MAGISTER NOSTER *loquitur,* an ſit ſuperſtitioſum B. Virginem MARIAM certo numero fuſis orationibus Dominicis, & ſalutationibus angelicis inuocare? *Oratio Dominica dicitur ea, qua Chriſtus Patrem noſtrum, qui eſt in cælis, nos docuit inuocare. Salutationem angelicam vocant hac verba Gabrielis ad Mariam.* AVE Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. *Et illa Eliſabetha.* Et benedictus fructus ventris tui. *Quibus ſubijciunt vocem* IESVS *vna cum clauſula,* Sancta MARIA, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nũc & in hora mortis noſtræ, Amẽ. *Superſtitioſum eſt, quod ſuperſtitionis aliquid in ſe habet Superſtitio aut eſt falſi Dei cultus, aut veri Dei falſus cultus. Nos reſpondemus eſſe ſuperſtitioſum, Pontificij negant.* Pag. 1.

CATHOLICVS. Etſi neque ea ætate, neque doctrina ſum, vt inter MAGISTROS NOSTROS, hoc eſt, eximios S.S. Theologiæ Doctores & Profeſſores ſim numerandus, tamen quia tu NESCIO QVIS, vel QVALIS, ſenex an iuuenis, Magiſter an Baccalaureus, Chriſtianus vel Recutitus, me tali dignaris honore, vt licet Diſcipulus, ſim tamen MAGISTER VESTER, dabo operam, vt probè munere & officio Magiſtri fungar in caſtiganda mali diſcipuli petulantia, *conueniantq; rebus nomina rite ſuis.* Tu interim vide partibus tuis, id eſt, auribus arrigendis vt ne deſis: ſum enim eas ſeriò pro iocis tuis in hoc hyperaſpiſte vellicaturus: vt tandem intelligas verum eſſe, quod ſummus MAGISTER NOSTER, qui eſt in cœlis, nos olim docuit.
Matth. 10. *Non eſſe diſcipulum ſuper Magiſtrum* Sed ad rem.

INITIVM Refutationis tuæ facis à duobus mendacijs. credo vt mox ſuboleat æquo Lectori, quo in conflando hoc ANTIROSARIO vſus fueris Magiſtro, nempe eo, qui, teſte veritate, mendax fuit AB
Ioan. 8. INITIO, Primum mendacium eſt, quod fingis in Apodixi mea quæſtionem eſſe de Inuocatione B. Virginis. De qua agere, ne per ſomniũ quidem mihi in mentẽ venerat. Qua autem de re ſit queſtio, ne luſcus quidem ignoret. Eam enim ad oculum demonſtrat inſcriptio apodixeos, demonſtrat Theſis prima, demonſtrat decurſus totius diſputationis. Sola gloſſa tua non demonſtrat. nam doctrina Inuocationis Dei & Deiparæ non ad RITVS vel ceremonias Catholicæ Eccleſiæ, de quibus in noſtra Apodixi agimus, ſed ad Dogmata fidei pertinet.

ALTERVM mendaciũ eſt, quod comminiſceris à nobis in quæſtionem vocari. *An ſit ſuperſtitioſum certo numero fuſis orationibus* DOMINICIS *& Salutationibus angelicis B. Virginem inuocare?* Miror cur non etiam addideris. Sítne ridiculum & ſtultum Dominicis orationibus inuocare B. Virginem. Nos certè Dominicis orationibus non inuocamus B. Virginem, ſed Deum, quia dum Roſarium recitamus non dicimus, *Mater noſtra, quæ es in cœlis:* Sed, PATER *noſter, qui es in cœlis.* Salutationibus verò angelicis nec Deum nec B. Virginem propriè inuocamus. Id vt te, tuiquè ſimiles Doctrinæ Catholicæ ignaros non lateret, diſertè monui in Apodixi mea ab Eccleſia clauſulam illam,
Theſ. 5. SANCTA MARIA *mater Dei ora pro nobis &c*, iam olim Salutationi Angelicæ ideò adiectam eſſe, vt formã precãdi vel inuocãdi haberet.

Quæres, quid ergo in diſputatione noſtra in quæſtionem vocetur?

cetur? Reſpondeo in quæſtionem vocari præcipuè tria. Primo an ſit ſuperſtitioſum eaſdem orationes, ſiue Dominicam, ſiue ngelicam ſalutationem identidem repetere? Secundo an ſit ſuperſtitioſum eaſdem orationes certo & definito numero repetere? Tertio an ſit ſuperſtitioſum, ad numerum & ordinem retinendum, vti ſphærulis precatorijs in formam Coronæ (à qua Roſarium vel Roſenkrantz appellatur) redactis. Hæc enim tria ſuperſtitionis pleniſsima eſſe veſtri in ſuis ſcriptis, vt Lutherus, Bucerus, Caluinus, & alij prodiderũt. Quorum ſententiæ tu quoque ſubſcribis, dum hîc ſubiungis. STATVS con trouerſiæ theſ

Et ante centum quidem annos aut amplius, quando nec Biblia vulgo legebantur: nec Papæ contradicere licebat: mirum non eſt, non hunc tantum (vt noſter Antagoniſta gloriatur) ſed & alios multos contra fidem Catholicam errores à multis receptos eſſe ac defenſos. Pag. 2.

Iterum mentiris. Si enim ante 100. annos Biblia vulgo lecta non ſunt, quomodo fieri potuit vt ante 100. annos tam multi, tamquè vberes à Catholicis Doctoribus editi ſint, in Biblia commentarij, qui nunc exſtant in noſtris Bibliothecis. Niſi forte dicere velis ante 100. annos à VVLGO, hoc eſt, imperita multitudine non eſſe lectitata Biblia. Sed nullos prorſus Bibliorum libros, qui ſine periculo à vulgo legi & intelligi poterant, lectos eſſe, non facilè probabis. Tota autem Biblia paſſim ab omni multitudine, vt proh dolor, nunc fit, lecta non eſſe, non diffitemur. nam ipſa Bibliorum præfatio, cuius auctor eſt Hieron. in ep. ad Paulinum tales Lectores repudiauit. *Tractant, inquit, fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paßim omnes vendicant. Scribimus indocti doctiq́; poemata paßim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris literis Philoſophantur*, &c.

Papæ vero vel Pontifici Romano ſanam doctrinam tradenti, qualem diuina munitus promiſsione & auxilio hactenus tradidit, nemini vnquam, ne tibi quidem, licuit contradicere: nam ſi Biblia legiſti, ita te docuit ore ſuo Deus, Chriſtus, Paulus. Deus Deu. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* Chriſtus vero Matth. 23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ &c.* Paulus ad Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui aũt reſiſtunt, ipſi ſibi damnationẽ acquirunt.* Quare idẽ Papæ non lice contradicere. Tit. 1.

Paulus ad Titum Pontificem Cretenſium ita ſcribit *Oportet Epiſcopum &c. exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi* (Caluiniſtæ) *inobedientes, vaniloqui & ſeductores, quos oportet redargui, qui vniuerſas domos* (& prouincias) *ſubuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta, Cretenſes ſemper mendaces.* An hic anonymus Cauillator Cretenſibus illis annumerari debeat, iudicio relinquo Candidi Lectoris: nam hactenus in tam paucis verſibus ter mentitus eſt.

Quod autem ſcribis, quia *Biblia vulgo Lecta non ſunt, nec Papa contradicere licuit. non hunc tantum* de inuoc: B. Virginis, vel de ritu precandi Roſarium, *ſed & alios multos contra fidem Catholicam errores à multis eſſe receptos ac defenſos*, vaniſsimè à te ſcriptum eſt; cum experientia veritatis certiſsimus teſtis doceat, infinitis erroribus obrutam eſſe Germaniam ex eo tempore, quo per Lutheri Caluiniquè Euangelium omnibus paſsim doctis indoctiſquè licuit Biblia ſacra peruolutare, Principi Eccleſiæ contradicere, dominationes ſpernere, Maieſtatem blaſphemare. Neque erroribus nouis comminiſcendis, diſsenſionibuſquè exuſcitandis apud vos aliquando finis erit, niſi iudicem aliquem controuerſiarum veſtrarum, cuius decreto ſtetis, diuinarum literarum teſtimonio, omniũ ſeculorũ conſuetudine probatũ accipiatis. Quare plane excæcatum eſſe te oportuit, cùm auſus es ita ſcribere.

Pag. 2. *Nunc autem in tanta doctrinarum omnium luce, quanta ab Apoſtolorum tempore vix vnquam fuit, & reſtituta Dei beneficio per pios Reges ac Principes rectè ſentiendi ſcribendiq́ libertate: iure profecto quis miretur reperiri hominem præſertim à Ieſuitis inſtitutum, qui tam craſſam idolomaniam, tam craſsis & inſulſis argumentis, quàm ſunt in his Theſibus, auſit propugnare. Sed hoc nimirum eſt illud Dei iudicium, de quo Paulus ad Romanos ſcribit: vt qui ipſum in notitia retinere nolunt, eos viciſsim tradat in mentem omnis iudicij expertem.*

In Caluiniſmo maior nunc eſt lux doctrinæ q̃ vix vnquam ab Apoſtol. tẽpore fuit.

Rom. 1.

Merito dixerim illud Prophetæ in te tuiquè ſimiles conuenire.

Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Veriſsimè enim dicatur, nunquam inde ab Apoſtolorum ſeculo tantas tenebras offuſas eſſe clariſsimis Catholicæ fidei dogmatibus, atq; hac errorum pleniſsima tempeſtate. Cùm enim fatendum potius ſit, eos qui proximi fuerunt Apoſtolorum temporibus maximam lucem accepiſſe, ex recentibus Apoſtolorum ſcriptis, concionibus, traditionibuſ-

onibuſque; conſtetque in eorum libris innumera eorum dogmatum, quæ nunc à vobis oppugnantur, exſtare teſtimonia, certè vos vos eſtis, qui longiùs à luce doctrinæ Euangelicæ, quã vlli vnquam hæretici ab Apoſtolorum temporibus, receſsiſtis, & denſiſsimis errorum atque diſſenſionum tenebris eò vſque vos inuoluiſtis, vt ſpes emergendi non ſit niſi ad Eccleſiam, è qua exiuiſtis, reuertatis.

Quid autem veſtra perperam ſentiendi ſcribendiquè immodica licentia lucis doctrinæ Euangelicæ hoc ſeculo acceſſerit, omnes ex animo deploramus: & deplorant quoque multi de vobis: quod tu, quia iuuenis es, per ætatem conſiderare non valuiſti. Hortor te vt ad Francofurtenſem mercatum, cùm vacatio erit à ſtudijs, te conferas, vel Catalogum nundinarum paucis nûmis compares. Ibi enim, tanquàm in ſpeculo videbis, quid tua pia quidlibet ſcribendi libertas effecerit; vt ſcilicet grauiſsimarum contentionum plena ſint omnia, & in grauiſsimis fidei dogmatibus magnis voluminibus Lutherani contra Caluiniſtas, Caluiniſtæ contra Lutheranos, acerrimè decertent: ſic vt multi etiam ingenio doctrinaque non vulgari præditi viri, qui diù in ſordibus Lutheraniſmi & Caluiniſmi hæſerunt, non aliam ob cauſſam lucem catholicæ doctrinæ tandem complectantur, quàm quod vident nullum eſſe contentionum apud vos finem, imò ipſas concordias & colloquia maiorum & errorum & diſſenſionum eſſe ſeminaria. Quod certè ſi tu non agnoſcis veriſsimum eſſe, *traditus es à* DEO *in mentem omnis iudicij expertem*: ſed tamen agnoſcis. Fructus libertatis Euangelicæ. Rom. 1.

Et contemni, inquis, potuiſſent iſtæ nugæ (de Roſario) niſi viderentur Pontificij noſtro ſilentio fieri inſolentes: & ſperare, dum Nos inteſtino quodam vlcere diſtinemur: ſe illud quoque Beſtiæ vulnus, quod hactenus incurabile viſum eſt, curaturos eſſe. Quod ipſorum conſilium vtinam perpenderent illi qui debebant, & maturè IVNCTIS COPIIS *communem hoſtem adorirentur.* Pag. 1. Apoc. 13. Nota ſpiritum Caluiniſticum.

Multum profeciſti fateor, quod grauiſsimum tuorum fratrum morbum ingenuè agnoſcas. Proxima ad ſanitatem via eſt, agnitio morbi. *Nos*, inquis, *inteſtino quodam vlcere diſtinemur.* Diſtinemini, mihi crede, peſtilentiſsimo vlcere, & hæreſis, quæ ſicut cancer ſerpit, & atrociſsimarum diſcordiarum; quod non ſanguine Catholicorum, quem pro tuo Caluiniſtico zelo ſitire videris, ſed ſalutari malagmate ſanatur eius, qui ſupremam obligandi ſoluendique à Chriſto accepit poteſtatem; qui auditor & iudex conſtitutus eſt omnium Ec-

Math. 18. cleſiæ controuerſiarum. De eo enim ſcriptum eſt, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Quamdiu verò vos medicum animarum veſtrarum loco tyranni & Beſtiæ habebitis, quamdiu vobis incurabilis videbitur, qui omnibus præeſt curandis, nulla ſpes ſupereſt inteſtini veſtri Vlceris ſanandi. Quis enim ſublato communi hoſte diſſenſionem inteſtinam, quæ eſt inter vos & confratres Lutheranos extinguet? num quoque Iunctæ Copiæ? An verò vos ſoli vultis regnare in terra? Deo gratias. Quanquam condonandus eſt tibi adhuc tyroni hic lapſus. Effutiuiſti per imprudentiam iuueniliter, quod aliquando in veteranorum circulis inaudiſti. Nôndum cum ſtoicis domuiſti animi perturbationes. Nôrunt præceptores tui, non furore propagari Euangelium, ſed patientia & caritate; non gladijs ferreis & æneis bombardis, ſed gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei; non Colloquijs Maulbrunnenſibus & Mompelgartenſibus, non altercationibus interminatis, non ſcriptionibus grandium voluminum, ſed conſenſione animorum in vnam confeſsionem fidei PETRI, aduerſus quam nec Portæ inferorum præualebunt, conſpirantium. Math. 16.

Ais te theſium mearum refutationem ſuſcepiſſe, *ne Pontificij ſilentio veſtro fiant inſolentes.* Si tantum ingenio eruditioniquè tuæ tuorumque tribuis, vt te putes eas poſſe irrefragabiliter refellere, & os Pontificiorum comprimere, ne mutire amplius audeat tyro contra Tyronem; cur ergo in eadem penè periodo quaſi abiecta haſta, deſperata Caluiniſmi propagatione, ſuggillata quoq; tuorum piorum Principum ſocordia vel imprudentia (qui te Conſiliario hactenus caruerunt) omnem ſpem ponis in armis, in *iunctis copijs?*

Neq; grauiter feras quod te licet anonymum, mihiquè ignotum vocem Tyronem. nam talem te eſſe collegi ex tuis verbis.

Pag. 3. *Equidem,* ais. *iſta ſcriptione nemini palmam præripere noui: Sed quia indignus erat hic Tyro veteranorum lacertis: ipſe eum ſum aggreſſus. Is pro cuius gloria pugnamus, felicem euentum pugnæ largiatur.*

Quia non ſine trepidatione, vt iuuenis imberbis, contra Dei Deiparæquè gloriam infeliciter pugnam es aggreſſus, valde verendum eſt, ne malo principio peior reſpondeat euentus. Sed nunc audiamus te pugnantem, & manus alacriter conferentem, ſed, Andabatarum more, cum vmbris.

Quid

Quid ergo? inquis, quid moliris Romanenſium defenſor? Demonſtrabo, *ait,* ritum precandi Roſarium non eſſe ſuperſtitioſum, vt ſectarij fabulantur. *Herbam tibi porrigam: ſi ſectarios hîc fabulari demonſtrâris.* Demonſtrabo, *ait,* hoc epicheremate. In Roſario quinque ſunt: Nomen, Orationes, Repetitio, Numerusque earundem: & calculi precarij: quæ conſtat omni ſuperſtitione vacare. Ritus igitur precandi Roſarium non eſt ſuperſtitioſus. *En demonſtratorem: planè Ariſtoteleum. Propoſitio quam omiſit, eſt principium, ſcilicet, neceſſariò verum.* THES. I. oppugnatur.

Quid verò? Quid machinaris Romanæ religionis irriſor? (Veteres enim, nomenclatura Romanæ fidei, catholicam denotârunt) ſectarios, quamuis tu oblatres, reſpuas, calcitres, hîc fabulari demonſtraui: non Demonſtratione Ariſtotelea, ſed Theologica, & quantam materia poſtulabat ad retundendas veſtras cauillas. Ambr. de obitu fratris Satyri. Hieron. lib I. con. Ruffin. Socrat. li. 2. hiſt.

Calepinum vel Nizolium lege; & intelliges, an demonſtrationis vocabulum tantùm ad illam ſubtilem & accuratam Dialecticorum ἀπόδειξιν pertineat. Cur Ratiocinationem à me inſtitutam prima theſi vocârim Epicherema, nôrunt pueri noſtri eloquentiæ ſtudioſi. Nam eorum præceptiones de arte Rhetorica habent, hoc diſtare Epicherema à ſyllogiſmo, quod in pauca contrahat, quæ ſyllogiſmus latius explicauit. Quare & propoſitionem, quam vocant, Maiorem, omiſi. Cypr. Soarius lib. 2. c. 21.

Sed tu, vt es peracutus, in propoſitione omiſſa, odoraris latitare fraudem, mones quoque ad marginem Lectorem, ne in anguem ſub herba latitantem impingat. Quæ verò eſt illa fraus? Nam propoſitio hæc inquit; *Quod de nulla parte dici poteſt, id de toto dici nequit,* quam omiſit, non eſt principium neceſſariò verum. Nego Domine Logice. Quomodo probas? Audite quæſo: non Theologum vel Dialecticum, ſed ſannionem theatricum. *Nam quod de nulla parte,* inquit, *dici poteſt, id de toto dici nequit: vt de nulla parte Papæ dici poteſt, quod ſit homo: anima enim eius non eſt homo: corpus non eſt homo. Ergo rectè ſcribit Gloſſator Iuris Canonici: Quod* PAPA *non ſit homo.* FATEOR in hac ratiocinatione non mea, ſed tua, principium illud non eſſe neceſſariò verum, quia accommodatur ad Totum & Partes eſſentiales Phyſicas: in meo autem epicheremate accommodatur ad totum per accidens. Debes enim ſcire, quod ego olim ex inſtitutionibus Dialecticis didici: multiplex eſſe totum & variam, nec vnam de omnibus totis eorumque

partibus eſſe rationem argumentandi. Valdè autem deliras, quòd totum per accidens & artefactum, compares Toti per ſe, eſſentiali Phyſico, Roſarium Papæ, cum illa longiſsimo inter ſe diſtent interuallo, nec eiſdem legibus Topicorum contineantur. Et vt continerentur, regula illa, qua locus Totius & partium à Dialecticis exponitur, obſeruanda eſſet. *Attributa quæ de toto ex partibus concluduntur aut refelluntur, talia eſſe debere, vt toti & partibus poßint eſſe communia. Nam ſi fuerint propria partium, non potuerunt de toto concludi, quia partibus conueniant: Si propria totius, non poterunt de toto negari, quod de partibus negentur.* Quare nec rectè concluſiſti cum tuo Gloſſatore, PAPAM non eſſe hominem, quia nec anima nec corpus eius ſit homo. Siquidem hoc attributum non poteſt eſſe Papæ commune cum animo & corpore. Ego verò rectè concluſi, in Roſario nihil eſſe ſuperſtitionis, quia nihil ſuperſtitionis eſt in Nomine, Orationibus, Repetitione, Numero, Calculis. Siquidem hoc attributum (*nihil eſſe ſuperſtitionis*) poteſt Roſario eſſe commune, & omnibus eius partibus. Qui enim negat, nomina, precationes, numeros, repetitionem, calculos, eſſe poſſe obnoxia ſuperſtitioni, examinet ſagarum, magorum, hariolorum myſteria.

Regula Dialecticorum.

Sed facilè apparet, quoniam ſerijs & ſolidis argumentis eras deſtitutus, te voluiſſe paſcere animos Lectorum nugis, & ſolennibus apud vos in Papam contumelijs. De Gloſſatore tuo neſcio quo, nihil moramur, tu capitecenſum iſtum, anonymus anonymum, vti lubet, volue atque reuolue, vt ſimiles habeant labra lactucas. Nos Iuriſtarum talium quiſquilias non adoramus. Si volebas orationi tuæ fidem haberi, potius ex ſcripturis probare debebas Papam non eſſe hominem. Nam cap. 16. Matthæi Chriſtus negauit B. Petrum omnium Paparum primum, cæteroſque Apoſtolos fuiſſe homines, vt ex verbis illis Chriſti, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis.* Et. *Vos autem quem me eſſe dicitis*, colligit D. Hieronymus. *Prudens Lector*, inquit, *attende, quod ex conſequentibus textuq; ſermonis Apoſtoli nequaquam homines, ſed dij appellantur. Cùm enim dixiſſet, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Subiecit, vos autem quem me eſſe dicitis? Illis, quia homines ſunt, humana opinantibus, vos qui eſtis Dij, quem me eſſe exiſtimatis. Petrus ex perſona omnium Apoſtolorum profitetur, Tu es Chriſtus filius* DEI *viui.* Annota hunc locum in Locis tuis communibus, vt aliquandò ementiri poſsis, Ieſuitas probare ex ſcripturis, Papam non eſſe hominem. Satis multa de Propoſitione,

Probatur Papā non eſſe hominem.

Hieron. lib. 3. in Matth.

poſitione, iam audiamus quid de Aſſumptione noſtri Epicherematis garrias.

Aſſumptio par eſt Propoſitioni. Nam partes Roſarij quinque ſunt. Pag. 4. Nomen, orationes, repetitio, numerusque earundem, & calculi precarij: *Sicut Logicæ partes quinque ſunt: Nomen, Præcepta, Repetitio, Numerusq́ eorundem, & Notæ memoriæ cauſſa ad margines appictæ:* quæ partes omnes omni ſuperſtitione vacant, *ſi quis credat nugatori.*

Si gloſſas tuas, ſi nugas, ſi mendacia dempſeris, negare non potes Aſſumptionem veram parem eſſe propoſitioni veræ. Nam, vt eſſes tibi ſimilis & par, non nugaris modo in refellenda aſſumptione mea, ſed etiam mentiris. Vbi enim dixi, vbi ſcripſi, *Nomen, orationes, repetitionem, numerum calculorum eſſe partes Roſarij?* Examina puerulos in ſcholis Ieſuitarum, qui quotidie in ſacroſancto miſſæ ſacrificio Roſariũ lectitãt, quæ, & quot ſint partes Roſarij, & actutũ reſpondebũt eſſe quinque calculorũ Decades. Rogati verò auditores Logices, quot ſint partes Logicæ, mox reſpondebunt eſſe tres, definitionem, diuiſionem, & argumentationem, alias ſi nominaueris, ſublato cachinno exſibilabunt te & explodent. Deſine ergo tandem nugari, & diſce nugas nugis non refelli ſed confirmari. Sed pergis tuo more.

AT ter ſeptem proſyllogiſmis demonſtrabit partes omnes Roſarij omni ſuperſtitione vacare. Scilicet hæc eſt natura Demonſtrationis. Sed audiemus tamen.

THESIS II.

NOMEN Roſarij ſuauiſsimum eſt: nec enim aliud ſignificat, vti vox quoque Germanica Roſenkrantz indicat, quàm ſertum quoddam ſpirituale, myſticis vocibus ex Euangelio depromptis tanquàm roſis contextum, quod virgini virginum DEI matri offerimus. Serta enim virginum capitibus ornandis propriè adhibentur.

CALVINISTA.

NOMEN; *inquit*, Roſarij eſt ſuauiſsimum. Ergo ſuperſtitione vacat. *Quid ita? Quia.* Quicquid ſuaue eſt, ſuperſtitione vacat. Pag. 4. *Hæc enim erit Propoſitio, ſi ſyllogiſmus ſit perfectus, at Propoſitio non tantum falſa eſt, ſed etiam inepta. Quid enim ſtultius, quàm ex titillatione ſenſuum Religionem æſtimare?*

Cathol. Notet iterum æquus Lector fraudem Cauillatoris comminiſcentis ſyllogiſmos & proſyllogiſmos, quales vult. Neque enim hæc probatio mea eſt. *Nomen Roſarij ſuauiſſimum eſt, ergo ſuperſtitione vacat.* Sed hæc, Roſarium, ſi nomen ſpectes, nihil aliud ſignificat, quàm ſertum quoddam ſpirituale ex myſticis vocibus contextum, quod virgini virginum offerimus; ergo ſuperſtitione vacat. Quare nec mea erit, ſi ſyllogiſmus ſit perfectus, illa Propoſitio. *Quicquid ſuaue eſt, ſuperſtitione vacat.* Dices. Cur ergò nomen Roſarij dixerim eſſe ſuauiſsimum? Reſpondeo me non redegiſſe in ſyllogiſmos demonſtrationem meam, vti tu facis, ſed quòd theſium ratio poſtulabat, more Rethorum breui oratione, vel epicherematis quibuſdam, vt ante dixi, eas ſum complexus. Itaque licuit mihi addere nomen Roſarij eſſe ſuauiſsimum, etſi hoc ad primariam probationem non pertineret. Vt vero adderē, cauſſam ſi eam aues cognoſcere, habui hanc. Quod ſicut ijs floribus, quibus ſerta texuntur, nihil ad titillationem ſenſuum ſuauius eſt, ſic nihil ſanctiſsimis precationibus, quibus ſertum Roſarij contexitur ſuauius eſt ad Deum, angelos, B. Virginem, omneſque ſanctos oblectandos. *Dirigatur oratio mea*, inquit orator magnus, *ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et Apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Quam cauſſam ſi tu conſideraſſes, & non ad titillationem ſenſuum tantum verba mea retuliſſes, potuiſſes ſic inſtituere proſyllogiſmum, neque falſum, neque ineptum. Quicquid ſuaue eſt Deo, angelis, beatis omnibus, ſuperſtitione vacat; at nomen Roſarij ſuauiſſimum eſt Deo, angelis, & beatis omnibus; ergo ſuperſtitione vacat. In quo ſyllogiſmo Propoſitio nec falſa, nec inepta eſt, Quid enim ſapientiùs, quàm ex iuditio & approbatione Dei ſanctorumque omnium, qui fallere & falli ampliùs non poſſunt, religionem æſtimare? Benè ergò facis, quod mox temeritatem tuam ipſe corrigis, & veram eſſe propoſitionem admittis.

Pſal. 140. 2. Cor. 2.

Sed vera ſit, inquis, *Propoſitio, & concluſio quoq; vera ſit: hoc eſt. Nomen Roſarij ſuperſtitione vacet: quid tum poſtea? num idcircò res etiam illo nomine ſignificata ſuperſtitione vacabit?* Num quicquid ſuaue nomen habet, *id quocunq; modo vſurpetur & tractetur*, ſuperſtitione vacat? *Id enim præſupponere te oportet, ſi quid ex nomine Roſarij concludere voles. Atqui hoc modo ne Iouis quidem cultus erit ſuperſtitioſus. Dicitur enim* IVPITER *(vt Grammaticis Latinis viſum eſt) quaſi iuuans Pater: quo nomine homini dulcius nullum eſſe poteſt.*

Pag. 5.

Si te

Si te quoque iudice & propoſitio, & concluſio vera eſt, quid ergo ſupereſt, quòd in hac theſi cauilleris? nihil enim in ea aliud ſtudui, quàm nomen Roſarij à ſuperſtitione vindicare. De re nomine illo ſignificata ſequentibus theſibus erat agendum. Sed quoniam ſuauitas illius nominis nares tuas offendit, quam dixi, à re per nomen ſignificata, & non à litteris vel ſyllabis hauſtam eſſe, faciamus nomen à re ſignificata diuelli non poſſe: Sed tunc vide tu quemadmodum in re ſignificata ſuperſtitio eſſe poſsit, & non ſit in nomine. Niſi forte tu ex illis es qui cùm *nomina tollere non poſsint, naturas* vel res ſignificatas *adimunt nominibus*, vti olim de Arianis queſtus eſt, B. Hilarius in tractando myſterio Trinitatis; & nunc nos querimur de Zuinglianis in tractando myſterio Euchariſtiæ. (Nam cum nomina hæc, *Hoc eſt corpus meum*, adimere non poſsint, adimunt tamen rem ſignificatam nominibus ſubiectam) Pone ob oculos exemplum tuum, IOVIS, vt errorem tuum cognoſcas. ſi rem ſignificatam nomini detrahas, ſuaue fateor nomen habebis, ſed illud falſò tribuitur Dijs, qui non ſunt Dij. *Omnes enim Dij gentium*, inquit Pſalmiſta, *dæmonia*. Sin nomini rem ſignificatam ſubijcias, iudica tu ſitne Iupiter, *iuuans*, & non potius *Iugulans Pater*. *Erat enim homicida ab initio*, inquit, verus Iupiter Chriſtus.

Lib. 2. de Trin. — Pſal. 95. — Ioan. 8.

Itaque ſuauitas nominis IOVIS non iuuat te, inſuauiſsimè diſputator, vt liberes cultum Iouis à nota ſuperſtitionis, quia & nomen ipſum eſt Dei falſi, & falſò illi Deo, vel potius dæmoni attribuitur. Suauitas autem nominis Roſarij contra plurimùm nos iuuat, vt eius vſum, non qualemcunque, ſed quem hac apodixi defendimus, Chriſtianum & Catholicum, liberemus à nota ſuperſtitionis. Nomen enim illud non ſolum eſt rei veræ in rerum natura exiſtentis, ſed etiam verè rei in natura exiſtenti tribuitur; ac denique ab eadem re ſuauitatis appellationem mutuatur, non ſuperſtitioni, ſed religioni maximè congruentem. Deinde ais.

Hic primus eſt proſyllogiſmus: cedo Secundum. Serta Virginum capitibus propriè adhibentur, Serta Virginibus ſunt offerenda. *Quauiſue, quibuſuis? Ergo & triumphalia, & oualia, & obſidionalia, & quæ plura ſunt genera ſertorum.* ATQVI Roſarium eſt ſertum: Maria autem virgo. *Equidem Roſarium putabam eſſe hortum roſis conſitum: & ita me Lexicographi docuerunt. Sed vos vt Religionem, ita linguam quoque vultis habere nouam & peculiarem.*

Pag. eadē.

Ne hic proſyllogiſmus meus, ſed tuus eſt. Meum enim in theſi inſtitutum fuit probare nomen Roſarij vacare ſuperſtitione: tu probas aliud; vel nihil potiùs probas, quia Propoſitioni & ſumptioni nullam ſubiecisti concluſionem. Scilicet ne Lector fucum deprehenderet, te à ſcopo aberraſſe; Dixi, *ſerta virginibus, Roſarium conuenire virgini virginum.* Quomodo non refutas, ſed rides? Quæris, inſtar ſtultorum non à me, ſed à teipſo? *Quæuiſnè ſerta quibuſuis conueniant?* Et ſtatim atque ſi ego tibi affirmatiuè reſpondiſſem, concludis. *Ergo & triumphalia & oualia, & quæ plura ſunt genera ſertorum.* Nempe vt animalis & carnalis homo es, non ſomnias, niſi ſerta carnalia; *Non percipis ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia eſt tibi, & non potes intelligere. quia ſpiritualiter à nobis examinaris.* Nonne diſertè in theſi ſcripſi, *Roſarium eſſe ſertum ſpirituale ex myſticis & ſpiritualibus vocibus conſertum?* Si neſcis dari ſertum aliquod ſpirituale, lege cap. 9. epiſt. 1. ad Corinth. *Neſcitis,* inquit Apoſt. *quod ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium (hoc eſt, coronam palmeam.) Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Ecce ſertum ſpirituale. Qua forma loquendi Apoſtolus propriè reſpexit ad virgines, omneſque caſtitatis ſtudioſos, qui ab omnibus verè abſtinent & continent, carnmque ſuam crucifigunt cum vitijs & concupiſcentijs.

1. Cor. 2.

De nomenclatura Roſarij.

Putabis Roſarium *eſſe hortum roſis conſitum*; Sed non eſt, ſapientis dicere, Putabam, Fateor eſſe hortum roſis conſitum, ſed non tantùm. *Ita te Lexicographi docuerunt.* Sed ſeculares. Si Eccleſiaſticos lexicographos quoque legiſſes, docuiſſent te vocabulum hoc multorum iam vſu annorum ad ſignificandos globulos precarios, numerumque certum precationum tranſlatum eſſe. Vt verò Chriſtiana religio tota, quam Lexicographorum tuorum auctores non agnouerũt, noua eſt, ita linguam quoque nouam & peculiarem meritò nobis vendicamus. quam ſi tu vendicare tibi non vis, Chriſtianus non es. Cum religione noua, nata ſunt noua vocabula, etiam vocabulum, Chriſtiani. Nam act. 12. Antiochiæ primùm ſumus appellati Chriſtiani. Cum ritu nouo, nouum etiam vocabulum exortum eſt Roſarij, ſed ritus nouus non nouam efficit religionem, vt tu ſomnias. Dogmata fidei noua nouam procreant religionem: Qualem iamdudum apud vos procrearunt, & ideò nouo nomine, non Catholica, ſed Caluiniſtica appellatur. Sed pergis.

Roſarium igitur vobis eſt ſertum: Sed quale nam? Sertum, *inquis*, eſt ſpirituale. *At propoſitio de corporalibus loquebatur: quomodo igitur de ſpiritualibus ſubſumis? quæ hæc eſt ratio argumentandi? & quot termini ſunt in tuo ſyllogiſmo? certè imperitus es, ſi non vidiſti: impudens, ſi de induſtria fallere voluiſti:* Pag. 6.

Propoſitio tua, non mea de corporalibns loquebatur. Tu enim, vt ſæpe dixi, fabricas propoſitiones & ſyllogiſmos quos & quales vis. Reuertere ad examen theſis, & liquidò deprebendes me ex analogia ſertorum corporalium oſtendiſſe ſertum hoc ſpirituale in virginem virginum conuenire. Vnde apparet ridiculum acumen tuum, de ratione argumentandi, de terminis ſyllogiſmi. Potuiſſes enim eâdem ratione & verba Apoſtoli dudum ex cap. 9. epiſt. 1. ad Corinth. recitata ſic vellicare. Præmium in certamine vitæ ſpiritualis agentium, vocas *coronam*, ſed qualemnam. *Coronam*, inquis, *incorruptibilem* vel ſpiritualem. At propoſitio tua de corporalibus loquebatur. Erat enim hæc. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Quomodo igitur Paule ſubſumis de *corona incorruptibili?* Quæ hæc eſt ratio argumentandi? Hæc ratio argumentandi, reſponderet Paulus, eſt à ſimili. quo genere argumentandi in eo capite mirè videtur delectatus. Certè hebes es, & ſtupidus es, ſi hæc non intelligis; impudens, ſi errorem non agnoſcis.

Potiùs ſic erat argumentandum tibi. Roſarium veſtrum conſtat ex calculis corporeis, ligneis, oſſeis, vitreis; non igitur eſt ſertum ſpirituale. Quanquam nec hoc argumentum theſin noſtram labefactat.

Appellaui enim *ſertum ſpirituale*, vt à tuis oualibus, triumphalibus & obſidionalibus ſertis diſtingueretur, in quibus nihil ſpirituale eſt, nihil ſacrum, profana omnia. In hoc verò ſerto, licet corporeo, plæraque omnia ſacra & ſpiritualia ſunt. Spirituales ſunt voces ex Euangelio depromptæ. Spiritualis eſt calculorum ſignificatio, ſpiritualis eorũdem benedictio, ſpiritualis vſus, ad proteſtandam fidem Catholicam Romanam, ad impetrandum B. Virginis patrocinium, ad Deum conciliandum.

Quo ſenſu Sacramenta Chriſtiana, quantumlibet corporea & viſibilia, vocamus ſpiritualia & inuiſibilia, quia ſpiritualem habent & ſignificationem & efficaciam. Et Apoſtolus Paulus, *Manna* de cœlo delapſum, & *Petram*, quæ Iſraëlitis aquam effudit, vocat ſpiritualem.

1. Cor. 10. *Bibebant de ſpirituali*, inquit, *conſequente eos Petra*. Et corpora noſtra
1. Cor. 15. poſt reſurrectionem, ait, fore ſpiritualia, quæ tamen erunt vera corpora. Ais deinde.

Perge tamen, & roſas ſerti tui nobis deſcribe. Sunt, inquis, voces myſti-
Pag. 6. cæ ex Euangelio deprompt*æ*. *Falſum, inquam, eſt hoc totum. Neq; enim vel oratio Dominica, & ſalutatio angelica myſticæ ſunt: ſi quid myſterium ſit, intelligis: Neq; vltima illa roſa*: Maria ora pro nobis, *eſt ex Euangelio deprompta.*

Putabam hactenus te Theologiæ ſtudioſum eſſe: nunc tandem video te ex malo Dialectico factum litigioſum Grammaticum: nodum enim in ſcirpo, litem quæris in vocabulo. Lexica & dictionaria tantùm lectitaſti nam ſi Patrum ſcripta legiſſes, didiciſſes, quicquid ſacrum, diuinum, ſpirituale eſt, id quoque myſticum vocari. Sed demus tibi nihil dici myſticum, niſi à myſterijs, hoc eſt, vel ab arcanis ſacris, vel ab arcana & recondita intelligentia. Quid tum? Num igitur myſtica non erit oratio Dominica vel Salutatio angelica? Maximè erit. Solemnis enim vtriuſque vſus ſemper fuit in arcaniſsimis Chriſtianorum ſacris, vt docere te poſſunt noſtræ, Hæbreorum, Græcorum Aethiopum, quæ exſtant λειτουργίαι. An verò tu nihil arcanum & reconditum inuenis in vocibus, quarum autor eſt Gabriel archangelus, Chriſtus filius Dei, Spiritus ſanctus? An nihil arcanum in ijs verbis eſt, ex quibus ſancti Patres, tam vberes, tam varios, tam refertos omni ſapientia commentarios expreſſerunt? Pro oratione Dominica lege vnum vetuſtiſsimum Tertullianum, & intelliges in ea *omnem penè ſermonem Domini omnem commemorationem diſciplinæ, omnia quæ à Deo poſtulari poſſunt*, vt annotauit quoque B. Auguſtinus, *contineri*; in ſumma, *eſſe quoddam totius Euangelij Breuiarium*. Niſi nouum aliquod; inuſitatum & inauditum Salutatio angelica contineret, non mirata eſſet ſanctiſsima virgo, qualis eſſet illa Salutatio *Benedictionis formu-*
Amb. in Luc. *lam nouam mirabatur*, inquit AMBROSIVS, *quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam comperta.*

Vltimam illam roſam. *Maria ora pro nobis*, fatemur ipſi in theſi ex Euangelio depromptam non eſſe. Itaque tua admonitione non indigebamus. Satis nobis eſt eam ex promptuario Corporis Chriſti, Eccleſia depromptam, cuius autoritate niſi commoti eſſemus, ne Euangelio quidem cum Auguſtino, crederemus. Tu autem quia in eo-

rum

rum numero es, qui Eccleſiam non audiunt docentem, dicendum eſſe, *S. Maria mater Dei ora pro nobis*: meritò haberis à nobis ethnicus, vel ſi malis, hæreticus.

THESIS III.

ORATIONES Roſarij ſine controuerſia ſunt ſanctiſsimæ, Nam Dominicæ orationis auctor eſt Chriſtus. Salutationis Angelicæ Gabriel angelus, & S. Elizabeth. Quam Eccleſia Catholica, vt formam quoque precandi haberet, hac clauſit oratiunculà à veteribus vſurpata. SANCTA MARIA mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ, Amen.

CALVINISTA.

Conclude ſi lubet: imò verò quia per tot & argumenti & argumentationis vitia non licet, tertium proſyllogiſmum meditare. Pag. 72

Quod eſt ſanctum, non eſt ſuperſtitioſum,

Orationes Roſarij ſunt ſanctæ:

Ergò non ſunt ſuperſtitioſæ. *Et per conſequens:* offerre eas B. Virgini non eſt ſuperſtitioſum. *R. plus eſt in concluſione, quàm fuit in præmiſſis, quanquam & illarum altera eſt ex parte falſa.*

CATHOL. Conclude tu ſi lubet, imò verò quia per tot argumentandi, reſpondendi, cauillandi vitia non potuiſti concludere, tertium proſyllogiſmum, non meum ſed tuum, quod facis, commiſcere. Ex meis certè verbis hoc potius enthymema confecero. *Orationum Roſarij autores ſunt Chriſtus, angelus, S. Elizabeth, Eccleſia; carent igitur omni ſuperſtitione.* Plus eſſe in concluſione tui ſyllogiſmi, quàm fuerit in præmiſsis, admitto. Quia enim tuum voluiſti conſtruere ſyllogiſmum, non ſine crimine falſi concluſioni adieciſti. *Et per conſequens eas offerre B. Virgini non eſt ſuperſtitioſum.* De quo nulla fuit in hac theſi mentio, ſed in præcedenti. Quanquam nec in ſyllogiſmo tuo, nec in annexo conſequente, quid iure à te reprehendi poſsit, video. Sed tamen aliquid reprehendis in ſumptione.

Nam vt, inquis, *de Oratione Dominica & verbis Angeli atq; Elizabethæ, perſuaſiſsimus, ea eſſe ſanctiſsima: ita de veſtra precandi formula, quæ his verbis conſtat:* MARIA *mater Dei, ora pro nobis, nunc & in hora mortis noſtræ: ſcimus eam non tantum non ſanctam: ſed blaſphemam, ſed idololatricam, ſed planè* DIABOLICAM *eſſe.* Nota blaſphemiam Caluiniſticam.

Cohorrui ſanè totis artubus, cùm hæc verba legi. Nec enim atrociorem blaſphemiam in Dei matrem Deumque euomere potuiſſet ipſe diabolus. Et verò num homo ſit huius ſcripti autor, meritò dubitare quis poſsit.

Nam duas voculas (ſancta) & (peccatoribus) formulæ precandi à me propoſitæ callidè detraxiſti; alteram ne B. Virginem laudares; alteram ne te humiliares; vtramque, vt fraudem faceres; in quibus omnibus non aliud, quàm mores antiqui ſerpentis expreſsiſti.

Iactas impudenter, te ſcire, formulam illam eſſe blaſphemam, idololatricam, planè diabolicam; prorsùs, ſicut Iudæi iactabant ſe ſcire, quòd Chriſtus *Samaritanus eſſet, & dæmonium haberet.* Veriùs dixeris te inſanire. Nam quod tu ſcis, hactenus ignorauit orbis vniuerſus. Ignorârunt celeberrimæ, quæ totum orbem repræſentârunt, ſynodi. Quarta Chalcedonenſis. Quinta & VI. Conſtantinopolitanæ. II. Nicæna, Florentina, Tridentina. Ignorârunt ſanctiſsimi doctiſſimíque Patres Athanaſ. Ephrem Methodius, Euſebius, Greg. Nazianz. Nyſſenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Paulinus, Prudentius, Auguſtinus, Fulgentius, Gregorius, Bernardus, alijque innumerabiles qui B. Virginem aliosq; ſanctos ſæpè inuocârunt. Quos omnes tu cogeris facere blaſphemos, idololatras, diabolicos. Ac in primis immortali laude dignum Athanaſium, qui hanc noſtram precandi formulam penè totam angelicæ ſalutationi adiunxit. *Aue gratia plena*, inquit, *Dominus tecum, beatam te prædicant omnes Angelorum & terreſtrium hierarchiæ, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, intercede hera & domina, & regina, & mater* D E I *pro nobis.* Verum audiamus tandem, cur blaſphema, idololatrica, diabolica ſit hæc formula. *Scriptum enim eſt*, inquis: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et vnus eſt Mediator Dei & hominum, Homo Ieſus Chriſtus* O bellum argumentum, non ſcholis, ſed muliercularum conuenticulis dignum. Proponam in forma. Nam & puceruli noſtri Catechiſtici, ſi illud intellexerint, clamabunt ſe poſſe diluere. *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, ergo idololatra eſt, qui orat; Sancta* M A R I A *ora pro nobis.* Negamus conſequentiam. Quia orare B. Virginem, aliosué ſanctos Dei amicos, vt pro nobis orent, vel nos orantes ſuis orationibus apud Deum omnis boni largitorem adiuuent, non eſt adorare, hoc eſt, diuinum honorem vel cultum latriæ B. Virgini deferre. Alioquin

Ioan. 8.

In ſerm. de ſanctiſs. Deipara.

Obiectio.

Matth. 4.

Reſponſio.

quin idololatra ſuiſſet Apoſtolus, cùm orationibus Romanorum, Coloſſenſium & aliorum ſe commendauit. Imò Deus ipſe, cùm mittit amicos Iob, ad Iob, vt oret pro ipſis, idololatriam ſuaſiſſet. Et tu quoque idololatra eſſes, ſi vel præceptorem tuum, qui ab omnibus ſanctis nomen habet, orares, vt oraret pro te miſero peccatore. Iob. 42. Toſſanus.

Vnum eſſe mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum non diffitemur; Sed qualem ibi deſcripſit Apoſtolus. QVI inquit, *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Hoc enim ſenſu nemo noſtrûm vnquàm, nec veterũ Patrũ B. Virginé alioſúe ſanctos Mediatores appellauit. Si autem nomine mediatoris intelligamus eum, qui pro alio tantùm apud Chriſtum & Deum intercedit, ne vos quidem negare poteſtis angelos ceteroſque ſanctos poſſe vocari mediatores, quia non negatis, ſi libris veſtrorum credendum eſt, eos orare pro nobis. 1. Tim. 2. Caluiniſtæ coguntur agnoſcere B. Virg mediatricem.

Arrodis deinde, quod Eccleſiæ autoritate formulam, illam precandi defenderim. *Non Eccleſia,* inquis, *ſic præſcripſit, ſed qui ſe Eccleſiam eſſe iactitabant, nil autem minus erant: quia vocem Chriſti non audiebant, id quod ipſemet fateris, quando ſcribis:* eos idcircò hanc oratiunculam compoſuiſſe, vt formam quoque precandi haberent. *Nam ſi Chriſtum audiſſent: neque defuiſſet illis precandi forma: neque matrem Chriſti, ſed Patrem inuocaſſent.* Pag 7.

Ego verò non de Eccleſia alia locutus ſum, quàm in qua fuerunt Synodi totius orbis celeberrimæ, in qua fuerunt Sanctiſsimi Patres, Athanaſius, Baſilius, Auguſtinus, & alij, qui eandem precandi & inuocandi formam nobiſcum vſurpârunt, & vocem Chriſti per Eccleſiam loquentes audierunt. Niſi forte vos ex eorum Eccleſia non eſtis, ſed ex Eccleſia Vigilantianorũ, Albigenſium, Henricianorum, Apoſtolicorum, Pauperum de Lugduno, Catharorum, Vicleffiſtarum, Taboritarum aliorumque hæreticorum, qui contempta voce Chriſti & Eccleſiæ Inuocationem Sanctorum ſuſtulerunt.

Quod autem dicis fateri me, *Eccleſiam noſtram Chriſti vocem non audiſſe,* luculentum mendacium eſt. Neque enim ego abſolutè ſcripſi, Eccleſiam nobis formam precandi præſcripſiſſe; cùm in hac ipſa theſi orationis dominicæ Chriſtum, Salutationis angelicæ Gabrielem archangelum fecerim autorem. Tantum dixi, Salutationi angelicæ, verba illa, SANCTA *Maria ora pro nobis,* adiecta eſſe, vt ſalutatio, quæ propriè precatio vel inuocatio non eſt, ſed *laudatio & benedictio,* vt vocat Ambroſius, formam quoque precandi vel inuocandi, qualem habet Dominica oratio, obtineret. Qui hæretici aſtârint inuocandos Sanctos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ita factum eſt, vt duas precandi formulas in Eccleſia Catholica habeamus. Alteram à Chriſto vero parente noſtro, qua inuocamus Deum Patrem, vt auctcré & fontem bonorum omnium, remiſsionis peccatorum, gratiæ, & ſalutis æternæ. Alteram à Chriſti ſponſa Matre noſtra, qua inuocamus Dei Matrem, omneſque Dei amicos, non tanquàm bonorum omnium auctores, ſed tanquam comprecatores & coinuocatores ad Deum Patrem, vt adiuti & muniti eorum comprecationibus Deo gratiſsimis faciliùs miſericordiam ab eo obtineamus. Verùm de his non agemus pluribus, cum manifeſta ſint, & à noſtris ſæpe pertractata. Sed nondum garrire, calumniari, mentiri ceſſas.

Pag. 8. *Itaq; fac, ais, preces illas omnes eſſe ſanctas, fac non eſſe ſuperſtitioſas: num idcircò earum recitatio quoq; ad Mariam virginem directa ſancta erit & non ſuperſtitioſa? Tu quidem hoc ſubnectis: ſed conſequentia planè eiuſmodi, qualis eſſet in hoc exemplo.*

Vinum eſt res bona, Ergò
Vino ſe ingurgitare non eſt malum.

Si quis vini gurges aduerſum te ſic argumentaretur: quid quæſo reſponderes demonſtrator? Equidem haud ignoro: ſed parco tuis auribus, quanquàm vix es dignus. Nimis enim craſſus error eſt: non diſcernere inter rem & rei vſum. Res omnes à Deo creatæ bonæ ſunt, At non cuiuis earum vſus eſt bonus, ſed is duntaxat ad quem ſunt creatæ. Vinum eſt res bona: ſed abuſus vini non eſt bonus. Sic Oratio Dominica eſt Sanctiſſima: ſed abuſus eius non eſt Sanctus.

Rurſus obtrudis ſomnia, proſyllogiſmos tuos, non meos. Vbi enim ſic ſum argumentatus? *Orationes Roſarij ſunt ſanctiſſimæ: ergò earum recitatio ad B. Mariam Virginem directa erit ſancta & non ſuperſtitioſa.* Tu *quidem*, inquis, *hoc ſubnectis.* Tu vero, inquam, qui theſes meas cæteroqui breues deſcribere auſus non fuiſti, ne ipſis quoque Heydelbergenſibus fraudes tuæ innoteſcerent, Mentiris. At fac me ita argumentatum eſſe; quid tum poſtea?

Pag. 9. *Abutitur*, inquis, *oratione Dominica, quiſquis eam ad Mariam dirigit. Nam in hoc à Chriſto non eſt facta. Nec abutitur ſimpliciter, ſed ſimul & horrendam idololatriam, vt nefandum ſacrilegium committit.* TRIBVIT ENIM CREATVRAE, QVOD EST PROPRIVM CREATORIS. *Et primùm quidem infinitam ſcientiam ac potentiam: dùm ſe in terris orantem à Maria, quæ eſt in cœlis, audiri inuariq; credit. Deinde cætera omnia, quæ in oratione Domini-*

Roſarij oratores idololatræ & ſacrilegi, ſcilicet.

Dominica retenſentur: v. g. vt ſanctificetur nomen Mariæ: vt remittat nobis debita noſtra: vt liberet nos à malo: quia ipſius ſit regnum & potentia & gloria, in ſecula ſeculorum. Tu ſi feciſti, nega. Imo verò ais, conſtanter nego.

Tam craſsè mentiris bone vir, vt te quoque mentitum eſſe ipſe ſentias. Me vel ſcripſiſſe, vel dixiſſe, vel vnquam ſenſiſſe, Orationem Dominicam dirigendam ad Beatiſs. Virginem Mariam, vt dicamus, *Pater noſter Maria vel Mater noſtra, quæ es in cælis*, &c. Nego. Imò, vt tu pro me ſcribis, conſtanter nego. Si verò ſuſpicabare me illud conſtanter negaturum, quid opus erat tanto triumpho, vt magnis literis axiomata tua contra nos depingeres, vt de horrenda idololatria, nefandóque ſacrilegio indicta cauſa accuſares? vt ad marginem, Roſarij oratores, hoc eſt maiores tuos, totamque Eccleſiam per orbem diffuſam ceu idololatras & ſacrilegos proſcriberes?

Ais, conſtanter nego. *Terentianus es nimirum, ſed qua fronte negas?* quia non Mariam ſic alloquimur, ſed Deum in Maria. *Cur ergo vos conuertitis ad Mariam, cum oratis? nempe*, quia ſcriptum eſt. Laudate Dominum in ſanctis eius? *At vitioſa eſt interpretatio latina. Deinde ſcriptum eſt ibidem. Laudate Dominum in tympano. Num idcircò tu proſtratus coram tympano dices: Pater noſter, tympanum, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum, & quæ ſequuntur? vana igitur hæc excuſatio.* Pag. ead.

Terentianus ſum conſtanter negando, quia tu Cretenſis es conſtanter mentiendo & nugando. Quis enim dixit, Catholicos ſe conuertere ad Mariam, cùm recitant Dominicam orationem? Quis ſcripſit nos alloqui Deum in Maria? Laudate Dominum in ſanctis, cùm orationem Dominicam dirigimus ad Mariam? Tu lauda Deum tuum in tympano, qui hæreſis tuæ patrocinium potiùs quæris in armis & tympanis, quàm in precibus. Nobis non deerit locus laudandi dominum in ſanctis eius, etſi in ipſa dominica oratione non laudemus. Quod laudemus in ſanctiſsima Virgine Maria dominum cùm ſalutationem angelicam dicimus, obſcurum non eſt: nam in ea benedictum eſſe fructum ventris eius confitemur.

Vitioſam garris eſſe *verſionem Latinam*; Sed inde ſequitur vitioſam, quoque eſſe Græcam, vnde ſumpta eſt Latina. Ac proinde vitioſa erunt, omniũ veterum Latinorũ & Græcorũ, Aug. Hieronymi, Bedæ, Baſil. Chryſ. Theod. Eutymij, qui noſtrã ſecuti ſunt verſionem, commẽtaria. Tu non probas eã vitioſam eſſe, ego aũt probo non eſſe,

quia 70. Interpretes Hebraici idiomatis peritiſsimi à ſpiritu ſancto inſpirati pſalmos ex Hebræo ita verterunt. Dices, vocem Hebræam eſſe neutri generis, & ſignificare *ſanctum locum*, vel *ſanctuarium*, vel *ſanctitatem*, vt quidam ex Hebræo verterunt. Sit ita. Nonne ſanctuarium phraſi ſcripturæ Heb. 9. dicitur, *Sancta?* Quid autem vetat, vt per metonymiam contentum pro continente, Sanctos angelos & homines, pro loco in quo ſunt, accipiamus?

Si tua dicta omnia velim ad lydium lapidem reuocare, poſſem te æquiore iure reprehendere, quòd nobis obtrudas vitioſum, *Pater noſter*; nam aſſuis publicæ & ſolenni precationi hæc verba, *Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum*; quæ antiquitas hactenus ignorauit, quæ Euangeliſtæ, quæ Chriſtus ipſe negauerit ſua eſſe. Non modò igitur non varia eſt excuſatio mea, ſed nulla. Et vaniſsimum eſt, quod deinde ſubnectis.

Pag. 9. 10. *Neq́ vana tantùm hæc eſt excuſatio, ſed falſa etiam & mendax. Nam ſi*
totum Pſalterium ad Mariam accommodaſtis, quidni orationem Dominicam ad
Nota. *eandem accommodaretis? Extat autem publicè liber iſte, pluſquàm blaſphemus*
Pſal. 15. 38. 11. 1. 35. *& Satanicus, in quo oratis.* Domina quæ es in cœlis, & gyrum terræ ſola
118. 115. 51. 2. 3. 29. circumis, vt ſubuenias inuocantibus te. Nomen ſanctum tuum confiteatur omnis caro. Benedictum ſit imperium tuum. Legem pone mihi voluntatis tuæ, & exquiram eam ſemper. Da mihi ſuſtentationem. Munda me ab omnibus iniquitatibus meis. Accedite ad eam in tentationibus veſtris, & ſtabilet vos ſerenitas vultus illius. Deduc me ad portum ſalutis. Propter imperium & magnificentiam dexteræ
Apoc. 13. tuæ. *Horreſco referens execrandas ſepticipitis beſtiæ voces, & tamen referre cogor: vt ſimpliciores cornua & vngulas eius agnoſcant, ſibiq́ cauere poßint. Hocné eſt Deum in Maria inuocare? hoc ne eſt laudare Dominum in ſanctis eius. Atqui dices, in Roſario, Patris appellationem retinemus. Videlicet, vt indicetis qualia monſtra ſitis, qui fœminam Patrem habeatis: & vt quotidie vel centies teſtemini, Deum non eſſe Patrem veſtrum, neq́ vos eſſe filios Dei.*

Nauſeo in his nugis deſcribendis, Quando quæſo, nugandi facies finem? Quando tandem deſines nobis tua vendere ſomnia? Cur iam ſtylum conuertis ad carpenda ſcripta aliena, niſi quia nihil habebas, quod carperes in noſtris? Tranſtulerit aliquis Pſalterij Dauidici ſententias ad ornandam Dei matrem: ſi ita tranſtulerit, vt ſanam aliquam & piam intelligentiam ſubiectam habere poſsint, quid calumni-

lumniaris? Si non poſsint, quid moror? Num vnius nimia licentia præiudicabit omnibus Catholicis Doctoribus? An vna hirundo apud te facit ver? Ego certè nec vidi vnquàm illud Pſalterium, nec legi; nec quenquam puto eſſe, qui eo ad implorandam opem D. Virginis nunc vtatur, aut vſus ſit.

Sed Pſalterij, inquies, quod ego obijcio, auctor eſt Bonauentura, vir apud Pontificios doctrina & ſanctitate eximius. Non diffiteor, licet id non conceſſerit Martinus Chemnitius. Verùm priùs videndum tibi erat, quem ſcopum doctiſsimus ſanctiſsimusque vir in ſcribendo illo opere habuerit, quàm ſine ratione, ſine iudicio, eum condemnares. Scribit Hieron. in ep. ad Paulinum, Probam Falconiam ex Virgilij Aeneide; Zonaras verò lib. 3. Annal. Eudociam Imperatricem ex Homero carmen contexuiſſe Chriſtianum; cùr non potuit B. Bonauentura ex Chriſtiani Pſalterij verſibus, Chriſtianum carmen contexere, quod in Dei matrem conueniret, maximè cùm id fecerit tantùm iuuandæ alendæque cauſa deuotionis quarundam ſanctimonialium fæminarum, ad quas, vt præfatio eius indicat, ſcribebat? In 4. p. exam.

Etſi falſiſsimum eſt, quod ſcribis, & alij ante te ſcripſerunt, *Totum Pſalterium à nobis accommodatum vel transformatum eſſe in laudes B. Virg.* Nullus enim Pſalmus in hoc Bonau. Pſalterio eſt, qui non quinque verſiculis abſoluatur. Nullus etiam ferè eſt, qui quidquam cum verbis Dauidicorum Pſalmorum commune habeat, præter duas vel tres voculas ex initijs Pſalmorum deſcriptas. Id vt veriſsimum eſſe intelligat candidus Lector, deſcribam primum huius Pſalterij Mariani, quod tandem in quadam Moguntina Bibliotheca reperi, Pſalmum.

BEATVS VIR *qui diligit nomen tuum Maria Virgo, gratia tua animam eius confortabit. Tanquàm aquarum fontibus irrigatum vber in eo fructum iuſtitiæ propagabis. Benedicta tu inter mulieres, per credulitatem cordis ſancti tui. Vniuerſas enim fæminas vincis pulchritudine carnis, ſuperas Angelos & Archangelos excellentia ſanctitatis. Miſericordia tua & gratia vbiq; prædicatur, Deus operibus manuum tuarum benedixit.* Pſalterij Mariani. pſal. 1.

Quod verò ad ſententias à te ex varijs Pſalmis corraſas attinet, ne Bonauentura quidem neget eas aliam habere intelligentiam, quàm tu illis affingis. Satanicum & blaſphemũ tibi eſt, quod B. Virginem vocet *Dominam*, quod non erat Athanaſio, quem orantem paulò ante audiuiſti. Lege Chriſtum patientem Nazianzeni, & nota quoties vocet

 δέσποιναν,

δέσποιναν, παγκοίρανον, παντάνασσον. An verò neſcis fœminas nobiles etiam in hac mortali vita vocari Dominas? In altera verò vita ſi po-
B. Virgo rectè teſtates, virtùtes, & Dominationes legimus in ordinibus Angelorum,
dicitur Domina cùr Domina non erit regina Angelorum? Et ſi Domina ſit, benedicta inter omnes mulieres dominas, cùr negabimus *benedictum eſſe eius imperium? & magnificentiam dexteræ eius?* Certè quam magni Domini ſint futuri omnes ſancti in cœlo, Spiritusſanctus nobis patefecit in Apocalypſi cap. 2. *Qui vicerit*, inquit, *& cuſtodierit vſq; in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Et cap. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cùm Patre meo in throno eius.* De ſanctis enim hæc verba expoſuerunt veteres, Hilar. Aug. Theodor. Primaſius, Beda, Rupertus. Satanicum tibi eſt, *Quod ſit in cœlis.* Vbi ergò eſt? num in inferno? Nam duo tantùm poſt hanc vitam hominibus defunctis loca aſſcribitis, alterum beatis, damnatis alterum. Blaſphemum tibi eſt, quod *nomen ſanctum eius confiteatur omnis caro.* Tun' ergò ex omni carne es, qui confiteri nolis nomen Mariæ Virginis ſanctum eſſe? Cùm tamen de omni carne vaticinata ſit ipſa Maria; *Beatam me dicent omnes generationes.* Satanicum tibi eſt, quod ad eam accedamus in tentationibus noſtris; vt eius precibus adiuti ab illis liberemur; cùr ergò ſatanicum non eſt, quòd in tentationibus noſtris ad homines mortales accedamus, vt eorum precibus adiuti à tentationibus liberemur? Blaſphemum tibi eſt, quòd *nos deducat ad portum ſalutis.* Cùr blaſphemus non eſt Apoſtolus, cùm dicit ſe omnes facere ſal-
1. Cor. 9. uos? *Omnibus omnia factus ſum*, inquit, *vt omnes facerem ſaluos.* quod plùs eſt, quàm ducere ad portum ſalutis. Dices; Paulum non feciſſe alios ſaluos, potentia ſua, gratia & miſericordia, vti facit ſolus Deus, ſed
1. Cor. 3. prædicatione. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit.* Et nos docemus B. Virginem deducere nos ad portum ſalutis precibus ſuis, non tanquàm Deam, ſed Dei Matrem. Impetrat enim precibus apud vnigenitum filium ſuum nunc & in hora mortis noſtræ, vt à ſalutè non excidamus, vt nihil nobis rerum neceſſariarum ad ſpiritualem *ſuſtentationem* deſit, vt *mundemur ab omnibus iniquitatibus noſtris.* Tantaque caritate ſecundum Deum flagrat erga genus humanum, vt ſola ex omnibus ſanctis circuire Gyrum terræ videatur, vt inuocantibus ſe adeſſe poſſit. Quare vt hiſtoriæ veteres teſtantur, cultus B. Virginis

Mariæ in omnibus Chriſtiani orbis partibus præ cæteris ſanctis ſemper fuit & adhuc eſt celeberrimus. At nondum quieſcis.

Sed quid ego, inquis, *aliunde voluntatis veſtræ teſtimonia accerſo? tu ipſe ſecunda theſi fateris:* vos preces Rôſarij B. Virgini Mariæ offerre tanquàm ſertum ſpirituale quod capiti ipſius ornando propriè conueniat. *Ergo* DEO *impropriè. ô os impudens & blaſphemum: I nunc, & dic preces Roſarij non eſſe ſuperſtitioſas. Et tamen nondum omnes ſunt examinatæ.* Pag. 11.

Agnoſcis tandem peccatum tuum, nempe quòd hactenus operam perdideris ſomnijs tuis, alieniſque teſtimonijs potiùs confutandis, quàm noſtris. Sed quo euentu, expertus es. Contine te in poſterum intra limites, & digito compeſce labellum: ni feceris, exclamabo & ego. O os impudens, mendax, blaſphemum. Affers quidem nunc aliquid ex theſi mea, ſed quod mendacio tuo minimè patrocinatur.

Non ſcripſi illa theſi orationem Dominicam à nobis offerri B. Virgini. Non dixi eandem orationem capiti B. Virginis propriè conuenire. Duo dixi. Primum eſt. *Roſarium B. Virginis à nobis offerri B. Virgini.* Quia, etſi in alijs orationibus præcipuè nos conuertamus ad DEVM, in hac tamen formula precandi orationes noſtras præcipuè dirigimus ad B. Virginem. Nam quinquies tantùm Orationem Dominicam, quinquagies verò Salutationem angelicam in Roſario recitamus: vnde & B. Virginis, non Dei Roſarium appellatur. Secundum eſt, *Roſarium, quæ ſertum eſt*, (refert enim formam ſerti vel coronæ) *conuenire Virgini virginum*; *eò quòd ſerta virginum capitibus ornandis* PROPRIE *adhibeantur.* Num verò inde ſequitur impropriè Dominicam orationem DEO conuenire? O inſulſum Dialecticum. ô paradoxum alienorum verborum interpretem.

Quanquàm & alio quodam ſenſu pio & orthodoxo, dici poſſit totum Roſarium, etiam orationes Dominicas offerri B. Virgini, non quò eas, ad illam dirigamus, vti tu cauillaris, ſed quòd eam rogamus, vt ſuis precibus coniunctas offerat DEO Patri. Nam legimus in ſcripturis orationes hominum piorum ad DEVM directas, tamen manibus Angelorũ DEO oblatas fuiſſe. Apoc. 8. *Et aſcendit fumus incenſorũ de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram* DEO. Tob. 12. *Quando orabas cum lacrymis* (inquit, Raphael Archangelus ad Tobiam) *ego obtuli orationem tuam Domino.* Si angeli orationes noſtras ad Deum factas offerunt

Deo, cùr non Regina angelorum quoque orationes Dominicas ad Deum factas, offerat Deo? Et ſi offert, cùr non licet nobis eaſdem eidem offerre offerendas?

Pag. 11. CALVIN. *Reſtat Salutatio angelica, verbis Elizabethæ amplificata: cuius recitatione primùm quidem Mariæ ſcientiam infinitam rurſus attribuitis. Nam aliàs non poterit vos in tam multis terræ angulis eodem tempore conſalutantes exaudire.* Speculum *enim* Trinitatis, in quo ſancti olim omnia videbant, iam pridem eſt à Caniſio fractum, & ſubſtituta potentia Chriſti, *ſed quæ nihil efficit, niſi voluntas accedat. Deinde inſignem veſtram fatuitatem proditis: dùm quod Angelus & Elizabeth ex officio ſuo peculiari fecerunt, vos quoque vobis faciendum exiſtimatis, perinde atque ſimiæ, quæ quicquid homines factitare vident, imitantur. Imò verò ſimijs ipſis ſtultiores eſtis. Illæ enim ſimile quid conantur; vos omnia diſsimilia.*

CATHOL. Speculum illud in quo Sancti olim omnia viderunt, non eſt iam pridem à Caniſio fractum. Itaq; tu mentitus es. Adſcribis ad marginem locum ex eius Càtechiſ. cap. 3. ſect. 8. in quo hæc verba inuenio. Sanctis angelis & hominibus *datum eſt, vt ſummis & æternis in cœlo bonis affluant, & cum Chriſto Domino ſemper coniunctiſsimè viuant. Igitur & illius gratia quæ apud nos in terris geruntur, poſſunt intelligere, & quoniam eximia in fratres etiam abſentes charitate flagrant, ſalutis noſtræ cura tanguntur.*

Vbi verò hîc mentio ſpeculi fracti? Vbi negat Caniſius ſanctos omnia videre in eſſentia diuina? Nunquid ideò fregit ſpeculum, quia ſcripſit ſanctos *Chriſti gratia, quæ apud nos in terris geruntur, intelligere?* An non etiam Chriſti gratia contemplantur eſſentiam diuinam & omnia in ipſo tanquam in ſpeculo? Sed quid opus eſt verbis? Redi ad Catechiſmum Caniſij, & inuenies ſpeculum reparatum. Nam ad illa verba (poſſunt intelligere) in margine aſſcriptum eſt teſtimonium Gregorij Magni ex lib. 12. mor. cap. 13. *Animæ ſanctæ*, inquit, *quia intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Et ex lib. 4. dial. cap. 33. *Quia in illa æterna hæreditate omnes cõmuni claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt?*

Sed ſit hoc ſpeculum fractum vel à Caniſio vel ab alio; num idcircò ſanctis rationes modiq; deerunt, quibus veniant in cognitionem rerum noſtrarum? Lege Auguſt. in libro de cura pro mortuis agenda cap. 15. & ſuppeditabit tibi tres alios modos. Poſſunt, inquit, audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. Poſſunt & ab angelis,

qui

qui rebus,quæ aguntur hîc præſtò ſunt. Poſſunt & Spiritu Dei reuelante cognoſcere,ſicut prophetæ,dùm viuerent,cognoſcebant,quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia iudicârat. Poſſunt,addit cap. 16. & per diuinam potentiam viuorum rebus intereſſe. Addo ego & ſextum modum ex Greg. Naz orat. in Athanaſium, Baſil. lib. de virginitate, Prudentio Hymn. 3. ad Eulaliam, quia poſſunt è cœlo in terram diuino munere adiuti reſpicere, & vbique omnia videre, ſicut Stephanus plenus gratia è terra reſpexit in cœlum, & vidit filium hominis ſtantem à dextris Dei. Act. 7.

Ex his ſex modis habes quinq;, quibus B. Maria Virgo ſine infinita ſcientia poteſt *nos in tam multis terræ angulis eodem tempore conſalutantes exaudire*,quod tibi videbatur paradoxum.Quid ſi dicam eam poſſe quoq; in tam multis terræ angulis, vbicunque à fidelibus inuocatur, realiter adeſſe, ſine grauiſsimorum Patrum teſtimonio non dicam. Auguſtinus enim in libro citato cap.16.non auſus fuit inficiari id poſſe per diuinam potentiam fieri. Quanquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, *Vtrum martyres*, inquit, *per ſeipſos adſint vno tempore tam diuerſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſiue vbi ſunt eorum memoria, ſiue præter ſuas memorias vbicunque adeſſe ſentiuntur &c.* HIERONYMVS verò non dubitauit fieri poſſe.Ita enim loquitur aduerſus Vigilantium aſſerentem animas ſanctorum non poſſe ſuis tumulis & vbi voluerint, eſſe præſentes; *Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula injicies, vt vſq; ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? De quibus ſcriptum eſt: ſequuntur agnum quocunque vadit. Si agnus vbiq;, ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbiq; eſſe credendi ſunt. Et cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbiq; præſentes ſint: martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt?*

QVOD verò, dum imitamur archangelum Gabrielem, & Spiritu ſancto plenam Elizabetham Deiparæ Virginis laudes cômemorantes, nos vocas fatuos, ſimias, & ſimijs etiam ſtultiores, fateor apoſtatæ Iuliani,vel impij Porphyrij,non Chriſtianæ Theologiæ ſtudioſi eſſe calumniam & blaſphemiam. Longè religioſiùs olim Spangebergius, Brentius, Vrbanus Rhegius, Lutherus ipſe de Salutationis Angelicæ ſalutari vſu locuti ſunt. Nam ſi fatui ſunt, qui imitantur exempla Chriſti & Sanctorum,valeat omnis doctrinæ Chriſtianæ inſtitutio, quæ in imitando Chriſto Sanctiſq; eius conſiſtit, *Imitatores mei*

1\. Cor. 11. *eſtote*, inquit, *Apoſtolus, ſicut & ego Chriſti.* Stulti ſint, qui deprecaturi ſcelerum veniam, cum publicano dixerint: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Simiæ ſint, qui animam agentes cum latrone in cruce moriente dicunt: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.*

At illi, inquis, *ex officio ſuo peculiari id fecerunt.* Chriſtus ex officio peculiari redemptoria animam ſuam poſuit pro nobis, ex officio peculiari Mediatoris etiam orauit pro nobis, nunquid ideò non debemus aut orare, aut animam pro fratribus ponere? Fecerit ex officio Legationis Archangelus, vt ſalutaret B. Virginem, vt de futuro eam inſtrueret myſterio; at ex quo officio fecit Eliſabetha? Illa enim tantùm à Spirituſancto impulſa, cùm aduenîſſet B. Virgo, in laudes illas prorupit: vt nempe ſignificaret non ſine diuino ſpiritu poſteros idem facturas, (quod facturas prædixit ibidem B. Virgo. *Beatam me dicent omnes generationes*) ac proinde non id facturos Caluiniſtas omneſque Mariomaſtyges, à quibus ſpiritus diuinus abeſſet. Sed quomodo probas, nos ſimijs quoque ipſis eſſe ſtultiores?

Pag. 11, 12. *Illæ enim*, inquis, *ſimile quid conantur, vos omnia diſsimilia. Angelus iuſſu Dei Mariam ſalutauit, vos arbitrio veſtro: angelus præſens præſentem ſalutauit, vos toto cœlo abſentes, in cœlo exiſtentem ſalutatis. Angelus ſalutauit eam ſemel, vos ſemper. Angelus vt initium legationis ſuæ faceret, vos vt remiſsionem peccatorum mereamini Quomodo hæc inter ſe conueniunt? nempe vt ignis & aqua. Et tamen non pudet vos exemplum Angeli prætexere ſuperſtitioni veſtræ. Habes iam reſponſum ad tertium tuum Proſyllogiſmum, paulò quidem prolixius, ſed neceſſarium tamen propter ambages, quibus nos circumduxiſti: ne fœtorem Roſarij veſtri ſtatim olfaceremus. Quod ſi directè argumentatus eſſes in hunc modum:*

Quod eſt ſanctum, id cuiuis offerri abſque ſuperſtitione poteſt.
Orationes Roſarij ſunt ſanctæ,
Ergo Mariæ abſque ſuperſtitione offerri poſſunt.

Reſpondiſſem paucis. Propoſitione principium petis, & in aſſumptione crimen falſi committis.

In hac oratione primò eſt putidum mendacium. Quis enim Catholicorum docuit, nos ſalutare B. Virginem, vt remiſsionem peccatorum, mereamur? Deinde vaniſsima vanitas; nam quicquid hîc garris, in te veriſsimè retorqueri poteſt. vt ſi quis velit probare Caluiniſtas in inſtituenda ſua cæna myſtica non eſſe tantum ſimias Chriſti, ſed etiam ſimijs ſtultiores. Illæ enim ſimile quid conantur imitari: vos

vos omnia diſsimilia. Chriſtus ex voluntate ſua cænam inſtituit: vos ex mandato Chriſti. Chriſtus præſens præſentem in cœna porrexit: vos toto cœlo abſentem, in cœlo exiſtentem porrigitis. Chriſtus ſemel porrexit corpus ſuum & ſanguinem: vos ſemper vel potiùs nunquàm. Chriſtus cœnam inſtituit veſperi, vos mane. Ille poſt alios cibos, vos poſt omnes cibos; ille cum lotione pedum; vos ne quidem cũ lotione manuum: ille aſsidentibus menſæ porrexit corpus ſuum & ſanguinem, vos ſtantibus; ille viris tantùm, vos etiam mulieribus; ille improbo Iudæ, vos tantùm electis & prædeſtinatis. Qnomodo hæc inter ſe conueniunt? nempe vt ignis & aqua.

Tuum quoque exemplum ſic in te retorqueo, hoc eſt, tuo te iugulo gladio. Angelus ſalutauit B. Mariam virginem; vos non dignamini ſalutare. Angelus præſens præſentem ſalutauit; vos ne quidem abſentem. Angelus in terra adhuc exiſtentem. vos ne quidem cum Chriſto in cœlo regnantem. Angelus ſalutauit eam ſemel, vos nunquàm. Angelus ſalutauit, vt Mariam inſtrueret de myſterio Incarnationis, vos non ſalutatis, vt memoriam Myſterij illius aboleatis.

Habes iam reſponſum ad tertium, non meum, ſed tuum Proſyllogiſmum, paulò quidem prolixius, ſed neceſſarium tamen propter ambages, quibus nos circumduxiſti, ne fœtorem Antiroſarij tui ſtatim olfaceremus. Quod ſi rectè ratiocinationes meas inſtituiſſes, & tuas non ſubſtituiſſes, breuius reſpondiſſem.

THESIS IIII.

REPETITIO quoque orationum, quia maxime valet ad excitandum inflammãdumq́; precantis affectum, non poteſt non eſſe religioſiſsima. Legimus tres pueros in fornace Babylonia Hemiſtychium quoddam ſingulis in collaudando Deo repetiuiſſe verſibus. Et religioſiſsimus orator Dauid in Pſalmis ſuis ſæpè repetit, nunc verbum vnũ, nunc plura, nunc verſum integrum. Certè in Pſal. 118. qui 176. carminibus abſoluitur, & quotidie in Eccleſia legitur, verbis tantùm immutatis idem ferè repetiuit.

CALVINISTA.

QVartus tuus Proſyllogiſmus, ad tertiam Roſarij partem à ſuperſtitione purgandam ita habet. Pag. 13.

Quod valet ad excitandum inflammandumq́; precantis affectum, non eſt ſuperſtitioſum.

Repetitio orationum valet ad excitandum inflammandumq́ue precantis affectum.

Ergo non eſt ſuperſtitioſa.

R. *Propoſitio maior eſt particularis: minor falſa. Nam & Mahometi cultus nos inflammat, vt ardentiùs pro ſanctificatione diuini nominis oremus, neq́; tamen ſuperſtitione vacat. Et certum eſt non repetitionem ardentis affectus: ſed ardentem affectum repetitionis precum eſſe cauſam.*

CATHOLICVS.

Ore tuo, vt malus Dialecticus, malos ſyllogiſmos obtrudis, non meos, ſed tuos. Nullum enim ego ſyllogiſmum in theſi feci. Et ſi feciſſem, ſecundum Dialecticæ & Theologiæ leges maiorem feciſſem vniuerſalem, hoc modo.

Quicquid in pijs & ſanctis precationibus valet ad excitandum inflammandumq́; precantis affectum, non eſt ſuperſtitioſum.

Repetitio precationum valet ad excitandum inflammandumq́ue precantis affectum.

Ergò non eſt ſuperſtitioſa.

Hæc maior explodit tuum Mahometicum cultum, qui pius & ſanctus non eſt, ſed ſuperſtitionum impiarum pleniſsimus, à quo toto animo & corpore abhorremus: *Mahometi cultus*, inquis, *nos inflammat, vt ardentiùs oremus.* Ita eſt. Vos, nempe Caluiniſtas, inflammat, quia proximus gradus à Caluiniſmo eſt ad Mahometiſmum, vti de Heydelbergenſi Paſtore ADAM NEVSERO, qui ex Caluiniſta factus eſt Mahometanus, probat oculatus teſtis STEPHANVS Gerlachius Academiæ Tubingenſis Sacr. literarum Doctor & Profeſſor ordinarius, & ad Conſtantinop. Patriarcham nomine Euangelicorum Legatus. Pluris autem eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem.

In præfat. Refut. theſium I. BVSAEI de perſona Chriſti.

MINOREM quoque propoſitionem vis eſſe falſam. Cùr vero? *Quia certum eſt non repetitionem ardentis affectus, ſed ardentem affectum repetitionis precum eſſe cauſſam.* Erras Domine Magiſter. Certum enim eſt vtrumque; & repetitionem ardentis affectus, & ardentem affectum

repeti-

repetitionis eſſe cauſſam. Poteſt enim, vt docent Philoſophi, vnum & idem eſſe cauſa & effectus reſpectu diuerſorum. Quod repetitio quoq; excitet, & inflāmet precantis affectū & alioquin frigentem & oſcitantem, experientia quotidiana orantium declarat. Niſi fortè tu nunquàm oras, aut ſemper in orando cales, vt repetitione verborum ad excitandum inflammandumque torpentem affectum non indigeas. Videmus procos & ſcurras in circulis & choreis verſiculis identidem repetitis excitare & inflammare affectum carnalem, & Caluiniſtæ homines in omnibus ſpirituales non poterunt Pſalmorum verſiculis ſæpè repetitis excitare & inflammare affectum ſpiritualem? Audiamus reliqua.

Sed heus tu, inquit, *Domine Magiſter, cùr repetitionem precum & numerum earundem ſeiungis? non eſt quæſtio, an preces repetere liceat. Nam & nos eaſdem preces & publicè & priuatim ſæpe repetimus. Sed hæc eſt quæſtio, An certas precandi formulas certo numero, v. g. quinquies, decies, aut quinquagies, continuè, non ex corde, ſed ex conſuetudine, & lingua etiam ignota repetere, proq; iſta repetitione, tanquàm pro pecunia annumerata mercedem, ſeu mercem potiùs à Deo, tanquàm Mercatore, poſcere, ſit ſuperſtitioſum? Itaq; fruſtrà adducis, quæ hic adducis ex ſcripturis trium puerorum in fornace Babylonica, & Dauidis Regij vatis exempla. Sancti illi Dei homines ex pio cordis affectu, ſine certi numeri obſeruatione aliquando eaſdem voces & ſententias, figura quadam Rethorica repetiuerunt: non vt illa repetitione aliquid apud Deum mererentur, ſed vt ardentem ſuum amorem erga Deum Eccleſiæ teſtarentur.* Pag. ead. 14.

Nondū nugandi facis finem. ſcatent enim hæc paucula verba tua paradoxis, mendacijs, matæologijs. Quæris primū cùr repetitionē à numero ſeiungā. Reſpódeo, quia aliud eſt orationū Repetitio, aliud Numerus, idq; ꝓbo ex tua Confeſsione. Ais enim *veſtros preces & publicè & priuatim ſæpè repetere, non tamē numerare.* II. Dicis non eſſe quæſtionē, *An preces repetere liceat.* Cur ergo Prædicantes tam Caluiniani, quàm Lutherani in repetione Roſarij tam pudendā hactenus inuenerūt Battologiam? III. *Vis eſſe quæſtionem de certo numero orationum.* At de numero theſi 10. & 11. diſputamus. Non potuit igitur in hac theſi de numero eſſe quæſtio, niſi velis omnia confundēda eſſe, vt Lector nō intelligat tuas nænias, quas ſubinde, cùm nullus eſt calumniandi locus, ex tui cerebri pharetra nobis obtrudis. Cuiuſmodi ſunt quæ ſequuntur. Addis enim IIII. quæſtionem eſſe: *An ſit ſuperſtitioſum non ex corde*

ſed ex conſuetudine, & lingua etiam ignota repetere, proq; iſta repetitione mercedem à DEO *poſcere.* Hanc verò quæſtionem non acceptamus.

Iſa. 29. Tu cùm tuis ex conſuetudine labijs tantùm DEVM ores, & pertineat ad vos illud vaticinium: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* Nos talem conſuetudinem non habemus. Lingua ignota non recitamus Roſaria; nam qui Græcè vel Latinè nôrunt, recitant Græcè vel Latinè: qui neſciunt, vulgari lingua. Neque mercedem pro repetitione vel numero, ſed pro bono opere à Deo tanquàm à cœleſti mercatore, qui non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine ſuo nos redemit, expectamus. *Vnusquiſq; enim,* inquit
1. Cor. 3. Apoſtolus, *propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem.*

Itaque ſi de numero non eſt quæſtio hoc loco, ſed de repetitione, non fruſtrà, vti tu porrò cauillaris, ex ſcripturis adduxi *trium puerorum in fornace Babylonica, & Dauidis regij vatis exempla.* Illi enim eadem verba ſententiasque integras in orationibus & Pſalmis ſuis identidem vel excitandi vel declarandi ſui in DEVM affectus cauſſa repetiuerunt. Quod autem tu hîc ſcribis ſanctos illos Dei homines ſententias illas *figura quadam Rhetorica repetiuiſſe*, ridiculum eſt. Num tres illi pueri Rhetoricæ aliquando ſtuduerunt, aut certè Rhetorum floſculis ornare ſuas preces curauerunt? Quod denique ſugillas Catholicos, quaſi exiſtimarent Roſarij Oratores repetitione nuda aliquid apud DEVM mereri, mendacium eſt. Quod enim loquaris de repetitione, à qua pius cordis affectus abſit, deinceps declaras.

Quid ſimile eſt in repetitionibus veſtris? Iacet vetula aliqua in Sacello Mariæ:
Pag. 14. *murmurat quinq; Pater noſter, & quinquaginta Aue Maria: quid autem murmuret, neq; intelligit, neq; cogitat, & interim propter iſta murmura Deum ſibi propitium eſſe credit, quia ſacerdos dixit. Huius rei produc exemplum, & viceris. Sacrum dico exemplum: fabulas enim veſtras quas theſi decima recitas non moramur.*

Fiat vt petitur; Ecce tibi ſacrum exemplum ex ſacra Regum hiſtoria deſcriptum. HELI *ſacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes domus Domini, cùm eſſet* ANNA *amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, &*
1. Reg. 1. *votum vouit, &c. Factum eſt autem, cùm illa* MVLTIPLICARET *preces coram Domino, vt Heli obſeruaret os eius. Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantumq; labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Aeſtimauit ergò eam Heli temulentam, dixitq; ei vſquequo ebria eris, digere pauliſper vinum quo mades. Reſpondens Anna: Nequaquàm, inquit, Domine mi. Vinum non bibi, ſed effudi*

effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial.

Hoc ſanè exemplum eiuſmodi eſt, vt tu inſtar ſimiæ illud videaris imitatus, etſi nihil de eo cogitàris vel intellexeris. Habes enim hîc primò in Anna viuam imaginem & typum vetulæ piæ & religioſæ (qualem tu deſcribere debebas) iacentis & effundentis animam ſuam, ſanctoque murmure multiplicantis preces coram Domino & Beatiſs. Virgine, ac inſuper probè intelligentis & cogitantis, quid murmuraret. *Loquebatur enim in corde ſuo.* Denique & credentis propter talia murmura, hoc eſt, in quibus motus labiorum cordi, verba menti conſentiant, Deum ſibi propitium, Deiparam autem aduocatam fore, quia ſacerdos dixit. *Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.*

Deinde habes in HELI Caluiniſticorum miniſtrorum, omniumque tui ſimilium ſubſannatorum exemplar, ora, nempe, vetularum noſtrarum obſeruantium, & propter motum labiorum ac multiplicem precum repetitionem iniquè de cordibus, ceu Dij terreſtres, iudicantium, cùm ne de vna quidem, quam fortè viderent in ſacello Deiparæ Virginis cum Anna iacentẽ, vt nec Heli potuit, rectè iudicare poſsint. *Solus enim ſcrutatur corda & renes* DEVS. Solus eſt καρδιογνώστης, vt habes in tuo Battologico carmine. Interim hoc deteriores Heli, quod hîc à temerario iudicio ſolo fœminæ adductus teſtimonio receſsit, illi verò ne Chriſti quidem voce admoniti, *Nolite iudicare & non iudicabimini*, à peruerſa calumnia, omnes ſimul Catholicorum inuoluente fœminas, abſtinere volunt.

Quas verò putaſti eſſe fabulas, non eſſe fabulas, ſed veras hiſtorias te ſuo loco, theſi 10. docebimus. Sequitur theſis quinta.

THESIS V.

DOminus quoque alicubi non obſcurè hanc repetitionem in orante poſtulauit. Nam Luc. 11. cùm orandi modum ſuis traderet, parabolam mox ſubiecit de eo, qui ab amico tres panes extorquere non potuit, niſi identidem eius fores pulſando. Et in cap. 18. cùm docuiſſet ſuos ſemper debere orare, & non deficere, aliam parabolam addidit de vidua, quæ quoniam idem ſæpiùs petendo etiam moleſta fuerat, iudicem tandem in ſuam ſententiam traxit.

CALVINISTA.

Pag. 15. AFFERS *deinceps* mandatum Chriſti, de aſsiduitate in orando, duabus parabolis illuſtratum, illocq; *Hanc, hoc eſt, talem, qualis veſtra eſt, modo à me deſcripta*: repetitionem à nobis poſtulari dicis. *Dicis, inquam, ſed non probas.*

CATHOLICVS.

BEnè habet, iacta ſunt fundamenta, ait eximius orator, ſed in fabula vetulæ. Quid ſupereſt, niſi vt nihil, quàm fabulas, deinceps audiamus? Probaui ad oculum duobus veteris Teſtamenti exemplis, & duabus Chriſti parabolis nihil hærere ſuperſtitionis in precationum repetitione: tu verò plenis buccis, perfricta fronte, fabularis me *Dicere tantùm, & non probare.* Quid verò eſt impudenter mentiri, ſi hoc non eſt? Sed non probo repetitionem illam vetulæ in limine ſacelli Mariani iacentis, & preculas ſine corde, ſine mente demurmurantis carere ſuperſtitione. Talem verò repetitionem probent irriſores Chriſti & Sanctorum: nos certè non probamus. Probamus repetitionem, quam Chriſtus in vidua, fortè vetula, Luc. 18. probauit. Quid hic habes quod obmurmures?

Pag 15. *Vult nos*, inquis, *Chriſtus in noſtris neceſsitatibus apud* DEVM *inſtare: etiamſi nolle nos audire ad tempus videatur: quemadmodum afflicta illa vidua inſtitit apud iudicem iniuſtum, qui initiò nō audiebat preces eius. Hicnè tu putas viduam ijſdem ſemper verbis vſam, eaſdemq; preces primo acceſſu quinquagies quinquies, & toties ſecundo, tertio, quarto, quinto, ante fores declamaſſe? Delirare eam iudicaſſet iudex, & catenis vinciri, domumq; reduci iuſſiſſet: opem illi non tuliſſet. Sed benè habet, tu ipſe refutas tuum argumentum ſequenti theſi.*

Status controuerſiæ, Domine Cauillator, non eſt de numero, ſed de repetitione tantùm. Expecta ergò patienter & reexpecta; nam cùm ad theſin 10. peruenerimus, exempla non deerunt eorum, qui certo numero eaſdem orationes repetiuerunt. Nunc cùm de repetitione tantùm ſit quæſtio, quam tu ipſe non improbaſti, otioſè ſanè quæris & ſuperſtitioſè, annè putem viduam illam ijſdem ſemper verbis vſam? Reſpondeo, per verbum neſcio, ſoluitur hæc quæſtio, à me & à te: quia neuter noſtrûm adfuit, cùm vidua illa precibus ſuis iudicem moleſtaret.

Sufficiat

Sufficiat tibi pro nunc, quod idem repetendo, ſiue verba, ſiue ſententias, iudici moleſta fugit. Nam vt intelligeres in repetitione quoque eorundem verborum nullam ineſſe ſuperſtitionem, ſuperiore theſi trium puerorum Babylonicorum, ipſiuſque Dauidis Regij exempla produxi irrefragabilia. Quos ſi tu deliraſſe putas, cùm iiſdem verbis & verſibus multa repetiuerunt, næ tu delirus à populo Heydelbergenſi habendus es, quando in ſano S. Spiritus cum Campanatore Dauidis Pſalmos, Hymnumque puerorum ſubinde decantas.

Verum eſto *Viduam illam delirare, & catenis vinciendam iudicaſſet iudex*: num ideò delirare iudicantur vel à Deo vel à vobis, qui iiſdem verbis orationem Dominicam ſæpe repetunt? Reſpondebis quòd non: quia Chriſtus in formula precandi, non modò ſententias, ſed verba quoque certa præſcripſit. Quid ergò ex hoc exemplo viduæ cauillaris apud Catholicos vſitatam, & à Chriſto Chriſtique ſponſa præſcriptam & commendatam earundem orationum repetitionem? Certè ſi & vidua illa Euangelica certam verborum formulam, quàm iniuſti iudicis auribus inculcaret, ab aduocato aliquo habuiſſet, nemo eam deliram; ſed valdè ſapientem & ab Prædicante aliquo iuriſta inſtructam iudicauiſſet. Hæc cùm plana ſint, deliras ſanè tu, cùm putas ſequentem theſin meæ repugnare doctrinæ. Sic enim habet.

THESIS VI.

DIces, parabolas illas non aliud efficere, quàm perſeuerantiam in oratione inprimis eſſe neceſſariam. Non diffiteor. At efficiunt quoque illud; repetitione fieri, vt perſeueremus, & non deficiamus. Si enim, cùm orandum eſt, oratio dominica dicenda eſt; *Cùm oratis*, inquit Chriſtus, dicite, *Pater ſanctificetur nomen tuum*, quomodo in tam breui orandi formula perſeuerare poſſumus, niſi orationem Dominicam identidem iteremus?

CALVINISTA.

HAEretici, *inquis*, dicunt, Parabolas illas nihil aliud ſibi velle, quàm perſeuerantiam in oratione imprimis eſſe neceſſariam *Et quid tu?* Non diffiteor, *inquis*: at efficiunt illud quoq; Pag. 15.

 quid

quid efficiunt? Imò iam conceſſiſti, quod nihil aliud *efficiant. Si* nihil aliud, *id quod tu præterea adijcies, falſum erit. Duo enim contradictoria ſimul verà eſſe non poſſunt. Verum perge, quid efficiunt præterea?* Repetitione fieri, vt perſeueremus, *Si repetitionem perſeuerantiæ cauſam efficientem, eſſe credis, erras: & matrem, ex filia naſci credis. Si formam perſeuerantiæ repetitionem ſtatuis, ex parte quidem verum dicis: Sed quid te hoc iuuat? Senſus erit, nos perſeuerare in oratione, preces ſæpè repetendo: & quia perſeuerantia bona eſt, repetitionem quoque precum eſſe bonam. Et quis hoc diffitetur? ſi ex animo fiat iuxta verbum Dei & finem bonum.*

CATHOLICVS.

NOn ſcripſi hæreticos illud dicere: & haud ſcio, an Lutheranus vel Caluiniſta aliquis illud dixerit. Niſi fortè tu, quia ſentiſti te illud dicere, proprio iudicio teipſum condemnare voluiſti. *Hæreticus enim*, vt ait Apoſtolus, *proprio iudicio*
Tit. 3. *eſt condemnatus.* Neque non diffiteor, nihil aliud tibi velle parabolas illas, quàm perſeuerantiam eſſe in oratione neceſſariam, ſed INPRIMIS eſſe neceſſariam. Primum, autem, dicit reſpectum ad (ſecundum.). Quare & efficere poſſunt aliud, modò illud *inprimus* neceſſarium non ſit, ſed ſecundariò, per accidens, per concomitantiam, vt loquuntur Scholæ. Id dixi eſſe repetitionem: quia repetitione fit, vt in eiuſmodi precandi forma, qualis eſt præſcripta in Roſario, paucis nempè comprehenſa oratiunculis, perſeuerare poſſimus.

Dixi per accidens eſſe neceſſariam: quia repetitio abſolutè & ſimpliciter ad perſeuerandum in oratione neceſſaria non eſt. Poſſumus enim in oratione ſiue mentali, ſiue vocali, multo tempore perſiſterę, etiamſi non repetamus vnam eandemque orationem ſæpiùs, ſed alias dicamus atq; alias. Quare gratiarũ actione dignus es tu, quòd tua ipſius ratiocinatione conſtrictus plus nobis, quã optare auſi fuerimus, concedas, Repetitionem videlicet eſſe cauſam formalem perſeuerantiæ: inde enim ſequitur repetitionem non poſſe auelli à perſeuerantia orationis: nulla enim res eſſe poteſt ſine ſua forma. Et ſi auelli non poteſt ab illa, tam bonam tamque neceſſariam in orationibus Roſarij neceſſe eſt eſſe repetitionem, quàm eſt ipſa orationis perſeuerantia. Hic ergo notet Lector ex propria cõfeſſione hæretici, non ineſſe plus ſuperſtitionis in repetitione, quàm in perſeuerantia orationi.

onis, ſed addit: *ſi ex animo fiat, iuxta Verbum Dei, & in finem bonum*, quaſi probemus orationes quæ ex animo non fiunt, contra verbum Dei, & in finem malum.

Deinde anxiè reuocans, quod ſemel per impudentiam cõceſsit, *Sed*, inquit, *ſequitur ne? Quædam repetitio eſt bona, ergò & noſtra. Non inquies, neq; ego ſic argumentor. Quòmodo igitur? Hoc nimirum modo.* Si cum orandum eſt, oratio Dominica dicenda eſt, in tam breui orandi formula quomodo perſeuerare poſſumus, niſi orationem Dominicam identidem repetamus?

Atqui cùm orandum eſt, oratio Dominica dicenda eſt:
Iuxta illud Chriſti; Cùm oratis, dicite, Pater noſter.
Ergò, vt in orando perſeuerare poſsimus, orationem
Dominicam, vt identidem repetamus, oportet.

Hicne tuus eſt modus argumentandi, hacné peritia pugnandi? Si te nondum, tui pudet, omni fronte cares. Quæris, quomodo in orando perſeuerare poſſis, niſi orationem Dominicam identidem repetas: an non habes Pſalterium Dauidis? an non habes Pſalterium Mariæ? an non habes Breuiarium? an non habes, hortulum animæ? an non habes, alias preces infinitas? quibus vel ſemel recitandis vita vix ſufficeret. At, inquis, Chriſtus iuſsit nos orare, Pater noſter. *Tantumné Pater noſter? Cùr ergò vos oratis, Aue Maria, & quidem crebriùs, quàm, Pater noſter? Viden' Lector, quàm benè ſibi conſtent, qui ſemel à veritate, diſceſſerunt. Sed tu perge Demonſtrator.*

Pergam cauillator, cùm garrulitatem tuam nonnihil coercuero. Nimis enim multa hîc effutiuiſti. Putas nos malè nobis conſtare, qui à veritate nunquàm diſceſsimus. Vide ne tu tibi conſtes peſsimè, quem conſtat iam dudum à veritate conuerſum eſſe ad fabulas. Conſtruis iterũ ex verbis meis ſyllogiſmum, ſed quem deſtruere non potuiſti, cùm tamẽ faciliùs ſit deſtruere, quàm conſtruere. Si enim potuiſſes, propoſitionem, vt ſoles, vel aſſumptionem negaſſes. Neutrum facis. Pugnas verbis, lœdorijs, vanis quæſtiunculis.

Neque enim ego id quæro, quemadmodum in oratione perſeuerare poſsimus, niſi orationem Dominicam identidem iteremus. Scio enim aliarum quoque piarum precationum faciendarum relictam nobis eſſe poteſtatem, modò capita orationis Dominicæ, ceu normam rerum petendarum, vt habet Auguſtinus, ſequamur:

Ep. 121. ad Probam. Sed quæſitum eſt in theſi, ſi orationem Dominicam tantùm, cùm oramus recitemus, (quod facere poſſumus) quomodo in ea perſeuerare poſſimus, niſi ſæpiùs eandem repetamus?

Quæris ſecundò, an Chriſtus iuſſerit nos tantùm orare *Pater noſter*? Reſpondeo categoricè, quod non: quia etiam oramus Pſalmos Dauidis, oramus Salutationem angelicam. & quidem crebriùs aliquando, quàm Pater noſter, vt cùm oramus Roſarium B. Virginis: aliquando minus crebrò, quàm Pater noſter, vt cùm oramus breuiarium, vel Sacrificium Miſſæ peragimus. Ecce candidè tibi reſpondi ad tuas quæſtiunculas. Tu verò non dignaris reſpondere ad ſyllogiſmum meum & tuum. Si verò dignaberis, opus erit hanc argumentatiunculam ſophiſticam euertere.

Chriſtus dicit. *Cùm oratis*, vel quod idem eſt, quotieſcunque oratis, dicite *Pater noſter*.

Ergò quotieſcunq; oramus, debemus dicere *Pater noſter*, & non Pſalterium, vel preces Ioannis Haberman.

Si enim, vel ſemel orauerimus Pſalterium, non parebimus mandato Chriſti, vt iacet. De his volui te amicè commonefacere Domine Refutator, quia proponere alienas quæſtiunculas, vel, *dare inconueniens*, vt Dialectici noſtri loquuntur, *non eſt ſoluere argumentum.* Iam pergo ad theſin ſeptimam.

THESIS VII.

Matth. 6. RVrſum dices: Dominum in ea ipſa inſtitutione monuiſſe, *ne orantes multum loquerentur*; vbi Græca vox eſt βαττολογεῖν inaniter idem repetentium propria. Reſpondeo, Chriſtum ibi tantùm reprehendere vanam loquacitatem Ethnicorum, qui exiſtimabant Deum æquè ac homines capi verborum copia & lenocinijs: nam addit, *Sicut Ethnici faciunt; putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.*

CALVINISTA.

Pag. 17. R*ectè Græcam vocem interpretaris.* Hoc dictum, inquis, hæretici nobis obijciunt. *Et quidni obijcerent, cùm veſtram βαττολογίαν manifeſtè damnet.*

CATHO-

CATHOLICVS.

Niſi cùm hæc legerem. Nam vt te ipſe hæreticum proprio iudicio & ſententia faceres, etiam mentiris. Nam in mea theſi *hoc hæretici nobis non obijciunt.* Et hîc candidus Lector notet, cùr hic cauillator theſes meas alioquin breuiſsimas non deſcripſerit, nempè vt veritatem cælaret. Sed nihil tam occultum eſt, quod non reueletur. Ais dicto Chriſti *noſtram* βαττολογίαν *manifeſtè damnari.* Quomodo manifeſtè damnatur, quæ nec obſcurè quidem noſtra eſt, ſed Ethnicorum, quia Chriſtus dicit, *ſicut Ethnici faciunt?*

En acumen, exclamas. *Chriſtus damnat* βαττολογίαν *Ethnicorum, ergò tantùm Ethnicorum: non etiam aliorum. Cùr ergò diſcipulis ſuis interdicit?* Interdicit inquam, ne imitentur βαττολογίαν Ethnicorum, nos autem non βαττολογοῦμεν, hoc eſt, non INANITER, ſed piè & religiosè, ad excitandum, vel etiam declarandum mentis ardentis affectum, idem repetimus, ſicut & vos ſæpè in Synagogis veſtris, te teſte, ſcilicet, facitis. *Perſuade,* inquis, *priùs ruſticis niuem eſſe nigram, & tùm ad nos reuertere.* Perſuade tu priùs nobilibus ignem non eſſe calidum, & tùm ad nos reuertere. Quo caſu quæris, hoc reſpondere iuberis.

THESIS VIII.

Locus illuſtris pro vindicanda hac repetitione ab omni ſuperſtitione eſt apud Lactantium in lib. 4. diuin. inſtitut. Cap. 28. vbi diſcrimen inter ſuperſtitioſos & religioſos (quòd illi totos dies precarentur Deos, hi moderatè id facerent) à M. Tulliano allatum, his verbis refellit. QVID *cauſa eſt,* inquit, *cùr precari pro ſalute filiorum ſemel religioſi, & idem decies facere ſit ſuperſtitioſi? Si enim ſemel facere optimum eſt, quantò magis ſæpiùs? Si hora prima, ergò & toto die. Si vna hoſtia placabilis, placabiliores vtiq; hoſtiæ plures, quia multiplicata obſequia demerentur potiùs, quàm offendunt. Non enim nobis odioſi videntur ij famuli, qui aſsidui & frequentes ad obſequium fuerint, ſed magis chari.* Et iterum.

Quòd argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari & immolare criminis eſt, ergò & ſemel. Aut cùr vitij nomen ſit ex eo tractum, quo nihil honeſtiùs, nihil iuſtiùs optari poteſt? Nam quod ait Cicero religioſos à relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum Deorum pertineant:

cur ergò illi, qui hoc in die ſæpè faciunt, religioſorum nomen amittant? cùm multò vtiq; diligentiùs ex aſsiduitate ipſa relegant ea, quibus Dij coluntur. Hæc ille.

THESIS IX.

EX qua oratione perſpicuè efficitur, non modò ſuperſtitioſos non eſſe, qui crebriùs eaſdem preces in Roſario iterant; verùm etiam meliùs eſſe Deoque gratiùs ſæpiùs, quàm ſemel eas iterare. Adhæc, repetitione ea nihil eſſe iuſtiùs aut honeſtiùs. Deniq; Roſarij oratores propriè eſſe religioſos, vt qui diligentiſsimè ex aſsiduitate relegant retractentque ea, quæ ad cultum Dei pertinent.

CALVINISTA.

Pag. 18. Luc. 2. R*Ectè ſanè* ſcripſit Lactantius: *nam & Anna prophetiſſa ieiunijs ac deprecationibus noctes diesq; Deo ſeruiebat: neq; tamen propterea ſuperſtitionis eſt notata. Ergò, inquis, neq; in Roſario repetitio precum eſt ſuperſtitioſa. Hoc verò tùm ſequetur, quando probaueris, de tali & talium precum repetitione Lactantium locutum eſſe. Neq; tamen neceſſariò ſequetur.*

CATHOLICVS.

SI rectè ſcripſit Lactantius de religioſa, non ſuperſtitioſa repetitione eorum, quæ ad cultum diuinum pertinent: ſi exempla exſtant piarum repetitionum in ſcripturis: ſi tu ipſe fateris in Caluiniſticis conuenticulis vſitatam eſſe precationum quarundam repetitionem: cùr adhuc manes in tua ſententia obſtinatus, cùr non apertè nobiſcum, quod res eſt, fateris, ne cogitemus, quod hactenus nos latuit, manifeſtum te eſſe hæreticum? Nemo enim, etſi grauiter hallucinetur in aliquo religionis dogmate, apud nos cenſetur hæreticus, niſi pertinaciter dogma ſuum erroneum defendat. Quantus ergò tu eris hæreticus, qui veteris & noui teſtamenti, Lactantijque teſtimonijs, ratione perſpicua, confeſsione propria conuictus, tamen pertinaciter calcitras, nec locum dare vis veritati, ſed varia quæris effugia quaſi aſyla, in quibus ſalus non eſt. Primùm, cupis tibi probari *Lactantium de tali & talium precum repetitione locutum eſſe* Miſer homo, meminiſtíne regularum Dialectices? Qui in genere probat repetitionem omnium non ſolùm precum, ſed etiam quarumlibet actionum ſancta-

ſanctarum religioſam eſſe, probat etiam tales vel tales precationes religioſè repeti poſſe. A genere ad ſpeciem, ab vniuerſalibus ad particularia. Imò non meminiſti quis ſit ſcopus demonſtrationis meæ? Probare videlicet repetitionem precum non eſſe ſuperſtitioſam. Hoc probaui ex Lactantio: quid vis ergò ampliùs? *De talibus precibus*, hoc eſt, de oratione dominica, ſalutationeque angelica, longè ſanctiſsimis, iam diximus. De *tali repetitione*, hoc eſt, quæ coniuncta ſit cum certo precum numero, & vſu calculorum mox dicemus. Nam neque repetitionem illam tuæ vetulæ (quam fortè voce (tali) denotari voluiſti) nec vllum abuſum in cultu diuino nos vnquam probauimus.

Et quoniam Heliana tua obſeruatione vetularum tanquàm norma vteris in theſibus noſtris refellendis, Ego N. autoritate magiſtrali, qua fungor in hac parte, iubeo tibi diſtrictè, vt in poſterum ab anilibus iſtis abuſibus obijciendis abſtineas. Abuſus enim etiamſi maſculini generis tantùm ſit in Grammaticorum ſcholis, non eſt tamen maſculini, ſed communis generis, in Euangelicorum æquè ac Pontificiorum conuentibus, & fuit in ipſo conuentu paucorum Apoſtolorum; inter quos inuenies Iudam, non crumenæ modò, ſed verbi quoque & ſacramentorum miniſterio turpiter abutentem. Si verò ob inflexibilem tuam in hæreſi pertinaciam abſtinere nolis, tuum ipſius Enthymema, loco excommunicationis contra te fulminabo, quod habes pag. 8. 1. Reg. 1.

Vino ſe ingurgitare eſt malum.
Ergò vinum eſt res mala.
Repetitione precum vti more vetularum murmurantium quæ non cogitant, eſt ſuperſtitioſum.
Ergò repetitio eſt ſuperſtitioſa.

At nimis craſſus error eſt, vt tu fateris, non diſcernere inter rem & rei vſum. Res omnes à Deo creatæ bonæ ſunt: At non quiuis earum vſus eſt bonus, ſed is duntaxat, ad quem ſunt creatæ. Vinum eſt res bona, ſed abuſus vini non eſt bonus. Sic repetitio orationis Dominicæ, aliarumque precum per ſe eſt ſanctiſsima: ſed abuſus eius, qualis eſt in paucis vetulis, non autem in cordatis hominibus, non eſt ſanctus. Ecce proprio iugulatus es gladio. Sed audiamus alterum effugium tuum.

F 2 *Etſi*

Pag. 18. *Etſi Lactantius*, inquis, *de tali & talium precum* (Roſarij) *locutus eſſet repetitione, non tamen neceſſariò ſequetur, eam vacare ſuperſtitione. Nam Lactantius eodem loco dicit, ſi verum Deum colas, non intereſſe quomodo eum colas: quod apertè cum Scriptura pugnat: Etſi Lactantium tanti facitis; nos certè magni eum facimus: ſed cum iudicio tamen legimus: & cum Scriptura comparamus: vt cæteros quoq; Patres: quia nullus eorum eſt, qui non alicubi errârit.*

Matth. 15.

Hieron. in ep. ad Pammach.

Et hoc perfugium miſerum eſt ac deploratum. Nam ſi Lactantium magni facis, & cum iudicio legis, cùr ſine iudicio hîc effutis Lactantium eodem loco docere, quæ apertè cum Scriptura pugnant? Recita eius verba. *Nimirum*, inquit, *religio veri Dei cultus eſt. Superſtitio falſi. Et omninò quid colas intereſt*, (verum nempè DEVM vel falſum) *non quemadmodum colas, aut quid precere.* Hæc verba quis non videt, ſi modò iudicio omni deſtitutus non ſit, ſaniſsimè poſſe & debere intelligi de ritibus, in quibus quiſque in ſuo ſenſu abundat? Agebat enim ibi Lactantius de crebra repetitione hoſtiarum, & precum, quæ liberam habebant obſeruationem in vtramq; partem. Chriſtus autem Matt. 15. quem locum ad marginem adſcripſiſti, loquitur de ritibus & traditionibus humanis cum mandato diuino è diametro pugnantibus, vti Patres expoſuerunt.

Ad hæc ſi cum iudicio locum hunc Lactantij legiſti, quare rationes eius, quibus repetitionem precum à ſuperſtitionis nota vindicauit, non labefactaſti, cùr non cum ſcripturis veteris & noui Teſtamenti à meallatis eas comparaſti? Etſi enim *quod alij Scriptores, præter Canonicos, ſcripſerunt, quia ipſi ita ſenſerunt, tamen ſi probabili ratione ſuam ſententiam*, vt alicubi ſcribit Auguſt. *perſuadere potuerunt*, eorum teſtimonium abijciendum non eſt.

Aug. ep. 19. ad Hieron.

Errores aliquot in hoc auctore inueniri non diffiteor. Num idcircò errori obnoxia ſunt omnia, quæcunque ille literis mandauit? Et, ſi non ſunt omnia, cùr inter errores Lactantij reponis dogma de repetitione precum, quod nemo hactenus poſuit? Quorſum à Lactantio, quem ſolùm ego allegaueram, tranſis ad cæteros Patres, & omnes in vnum quaſi faſcem collectos eidem accuſationi ſine mente, ſine fronte, ſine iudicio inuoluis, & dicere audes: *Nullum eorum eſſe, qui non alicubi errârit*, niſi vt proſtituas nobis arrogantiſsimam impudentiam & impudentiſsimam arrogantiam tuam? Eſto, Lactantius, & alij quidam, quorũ meminit Hieronymus in apologia ad pammachium,

in iſtis

in iſtis primis Chriſtianæ religionis incunabulis, (quibus doctiſsimorum ſanctiſsimorumque hominum diſputationibus, Conſiliorumque ſanctionibus nondum erant capita omnia religionis Chriſtianæ ita accuratè & ſubtiliter explicata, vt poſtea fuerunt) alicubi errauerint, nūm ideò poſteriores omnes errauerunt, & inutiles facti ſunt vſque ad vnum? Túne imberbis iuuenis, qui vix ex ouo Theologico prodijſti, perlegiſti omnes Patres, & in tuis codicillis vel locis communibus cuiuſque errores annotauiſti? Hieronymus certè, in quo ſcientia ſcripturarum cum ſanctitate morum certabat, in ea ipſa Apologia ad Pammachium, quam tu vocas epiſtolam, etſi aliquid deſiderauerit in vetuſtiſsimis quibuſdam Scriptoribus, tamen de alijs tam honorificè locutus eſt, vt ſcripſerit horum *ſe malle negligentiam, quàm aliorum obſcuram diligentiam æmulari.*

Ergò quia hac via non potuiſti Lactantium nobis eripere, aggrederis alia. *Si*, inquis, *Lactantium tanti facitis, cùr igitur idola fabricatis? cùr coram eis veſtras preces, veſtrum Roſarium recitatis? quæ omnia vt ſtulta, ſuperſtitioſa & blaſphema Lactantius damnauit lib. 2. inſtit. cap. 2. Non contra nos ſcripſit, rurſus inquies, ſed contra Ethnicos. Scilicet in vobis laudabit, quod in Ethnicis reprehendit. Lac lacti non eſt ſimilius, quàm vos eſtis illis, contra quos Lactantius ibi diſputauit.* Pag. 19.

Carbo carboni non eſt ſimilior, quàm tu es illi, qui à calumniando nomen accepit. Vbi quæſo apud nos vidiſti idolum, hoc eſt, ſimulacrum Iouis, Veneris, Aeſculapij? Vbi vidiſti vetulam tuam globulos Roſarij voluentem coram idolo? Niſi fortè nomine idoli, imagines quoque Chriſti & Sanctorum, quorum magnus vſus eſt in noſtris templis, in veſtris nullus, intelligas. Id quoniam ſuſpicabar, accurri ad Theſaurum Græcúm Henrici Stephani, (memineram enim te valdè verſatum in lexicographis) inuenio εἴδωλον *apud Eccleſiaſticos vocari omne ſimulacrum, numen aliquod repræſentans, quod cultu & honore dignamur.* Obſtupui, exclamaui. Falſiſsimum eſt, popoſci calamum, lituram induxi errori. Eccleſiaſtici enim Patres in VII. Synodo œcum. actione 5. & 7. anathemate multarunt iconomachos, *qui imagines Chriſti & Sanctorum vocabant idola.* Mox igitur corrige lexicon tuum, ne incurras excommunicationem. Si ſcripturas, Patres veteres, & non tantum Lexicographos in conſilium vocauiſſes, facilè didiciſſes εἴδωλον propriè ſignificare ſimulacrum repræſentans Idolum quid ſit

 rem

rem vel Deum qui non eſt. Vnde Apoſtolus te doctior 1. Cor. 8. ſcripſit, SCIMVS, *quia nihil eſt idolum in mundo.* Nihil, inquit B. Irenæus lib. 3. aduerſus hær. cap. 6. quia non eſt verus Deus, vel quia repræſentat quòd non eſt, vt habet in ſcholijs græcanicis Photius Patriarcha Conſtantinop. Nos autem imagines, quæ repræſentant Chriſtum, B. Virginem, cæteros Sanctos verè in cœlo exiſtentes, quo par eſt cultu veneramur. Sed nimis multa hactenus pro Repetitione precum Roſarij diximus, veniamus tandem ad Numerum, tua quidem repetitione ſuperſtitioſiſsimum.

THESIS X. DE NVMERO.

NVmerus ſequitur orationum Roſarij ab eadem nota ſuperſtitionis immunis. Nam angeli apud Iſaiam, & in Apocalypſi animalia quæ requiem non habebant, nec nocte nec die, tertiò eandem vocem in laudibus Dei iterant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Dauid Propheta ſepties in die laudem Deo dixit. Cuius exemplum ſecuta Eccleſia diuinum officium ſeptem diurnis nocturniſque horis abſoluit. Chriſtus in horto orans tertiò eundem ſermonem repetiuit. Paulus ter Dominum rogauit, vt angelus Sathanæ ab eo diſcederet. D. Bartholomæum genibus centies noctu diuque oraſſe teſtis eſt eius auditor ABdias Babylonius. Ex vetuſtiſsimis Anachoretis apud Palladium & Socratem. S. Macarius, centum, Paulus AEgyptius trecentas, Virgo quædam ſeptingentas quotidie fundebat ad Deum orationes.

CALVINISTA.

Pag. 20. *Quaſi verò angeli, Dauid, Paulus, Chriſtus Deo preces ſuas* ANNVMERASSENT, *(vt tu de te tuiſq; Sodalibus ſignificanter loqueris,) ſic vt pro certa precum ſumma, certam indulgentiarum ſummam reportarent. Angeli ter eandem vocem repetiuerunt, ad notandam perfectionem ſanctitatis Dei. Totum verò canticum, non ter, aut ſepties, aut quinquagies, aut vllo certo numero repetiuerunt, ſed dies nocteſq; ſine intermiſsione continuarunt. Itaq; ſi vos eſtis angeli Dei, cùr non etiam Deum potius quàm Mariam*

prædi-

prædicatis? & cùr preces veſtras intermittitis, factòque penſo domum reſilitis?

CATHOLICVS.

Rectè facis Domine Cenſor, quòd pergas tui eſſe ſimilis. Paulo antè, cùm non haberes, quod in repetitione orationum Roſarij calumniari poſſes, arroſiſti numerum repetitionum: Nunc cùm ad numerum peruentum eſt, tranſis ad Indulgentias. Sed fræno te cohibebo, ne ſaltes extra Chorum. De Numero quæſtio eſt. *Sitnè ſuperſtitioſum orationes certo numero ad aliquid ſignificandum recitare?* Ego dico quod non: quia alioqnin ſuperſtitioſi fuiſſent angeli in Iſaia, & Apocal. qui certo numero ad deſignandum myſterium S S. Trinitas vocem SANCTVS, repetiuerunt, vti omnes veteres expoſuerũt, Origenes, Baſilius, Chryſ. Hieronymus, Cyrillus, Procopius in comment. cap. 7. Iſa. Dionyſ. Areop. in lib. de Cœleſti Hierachia, Epiphan. in Ancor. Bern. ſerm. 3. in verba Iſaiæ.

Quare Damaſcenus in lib. 4. de orthod. fide cap. 10. ita ſcripſit. *Quòd non de filio duntaxat, ſed de ſancta Trinitate dictus ſit ille ter ſanctus Hymnus, teſtantur diuus & ſacer Athanaſius, Baſilius, & Gregorius, ac totus diuino numine afflatorum Patrum chorus: nempè quòd ſancta illa Seraphin per triplicem ſanctitatem tres ſuper eſſentialis diuinitatis perſonas nobis ſubindicent, per vnam autem dominationem vnam diuinæ Trinitatis ſubſtantiam imperiumq́ declarent.* Iſa. 7.

In exponendis autem ſcripturis ſequendi ſunt Patres, & non Ariſtoteles, cuius axiomatis (vt, *Tria ſunt omnia, omne trinum perfectum.*) tu niti videris, cùm ſcribis ter repetitam vocem, *Sanctus*, ab angelis ad ſignificandam perfectionem diuinæ ſanctitatis. lib. 1. de Cœle.

Quòd autem non, vt angeli Dei dies noctesq́ue ſine intermiſſione oremus, in promptu cauſa eſt, quia non angeli, ſed homines ſumus, Humani à nobis nihil alienũ putamus, vt ſomnũ, cibum, potum: quibus non indigent angeli. Cùm aũt ad cœlum peruenerimus, & ſimiles angelis erimus, abiectis Roſarijs, ſine intermiſſione Deũ, matrẽ Dei, omneſq́ue ſanctos collaudabimus. Si vos verò eſtis angeli Dei, cùr non ſine intermiſſione noctu diuq́ue Deum oratis, maximè cùm ex Verbo Dei mandatũ Chriſti nõ deſit, Luc. 18. 1. Theſ. vlt. *Orate ſine intermiſſione.* Quod mandatum, quantùm humana fragilitas patitur,

pro modulo noſtro in Catholica Eccleſia ſeruamus, quia ſtatis horis mane, meridie, veſperi, nunquàm preces publicas intermittimus. Ità enim expoſuit illud mandatum Auguſt. Beda. Ans. Haymo, alij. Vos autem nec ſine intermiſsione ſimpliciter ſicut angeli, nō vt homines, ſtatis & deſcriptis horis, ſed quando placet, oratis & prædicatis: ac cantatis quatuor vel quinque Germanicis Pſalmis, quia fragilitas humana maior eſt apud vos, quàm apud nos, domum reſilitis.

Aug. l. de hær. c 37. Beda in c. 18. Luc. An. Hay.

Quæris etiam, cur non Deum potiùs, quàm Mariam prædicemus, cùm Deum tantùm, angeli prædicârint. Reſpondeo ſi B. Maria in cœlo fuiſſet, cùm Iſaias hanc viſionem haberet, angelos proculdubio illam quoque ſecundum Deum, vt matrem Dei, vt Reginam angelorum prædicaturos fuiſſe. Quòd autem nos non ſolum Deum, ſed etiam B. Mariam ſecundum Deum prædicemus, mirum non eſt: Nam & prædicata eſt ab Archangelo Gabriele, cùm adhuc eſſet in vita mortali, & nunc prædicatur ab angelis omnibuſque Sanctis in cœlo, & ipſa prædixit ſeà nobis prædicandam. *Beatam*, inquit, *me dicent, omnes generationes*. Quod autem prædictum eſt verè, non poteſt non euenire, etiamſi prædictio non ſortiatur euentum in ſingulis hominibus, vt in Caluiniſtis, Marianarum laudum hoſtibus. Sed perge nugari.

Luc. 1.

Dauid ſepties in die laudem dixit Deo, eiuſq; exemplum, inquis, *ſecuta Eccleſia diuinum officium ſeptem horis diurnis nocturniſq; abſoluit: quaſi velis dicere: ergò & nobis Marianis preces noſtras numerare licet. Fateor certè, tuā conſequentiā eſſe valdè bonā. Nam ſi toti Eccleſiæ licuit quidlibet ex quolibet cōcludere, quidni liceat Marianis? Dauid ſepties in die laudem dixit Deo: ergò fuit Canonicus Hieroſolymitanus. Pudeat vos tam rancidas Monachorum nugas nobis reponere, & in lucem iterum collocare. Nunquàm hoc Dauidi in mentem venit, vt vel ſingulis diebus ſepties, non ſæpiùs aut rariùs, oraret: vel eundem Pſalmum vno ad Deum acceſſu ſepties recantaret; ſed finitum numerum poſuit pro infinito: vt & in illo.* Iuſtus in die cadit ſepties: *idemq; voluit dicere, quod Pſal. 34. 1. dicit*: Benedicam Iehouæ omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Pag. 21.

Prou. 24. 16.

Si ironijs & ſarcaſmis rectè ſoluuntur argumenta, fateor te excellere; ſi ſolidis rationibus, aio te eſſe, cum tuis Monachis apoſtatis, quibus ſcatet Caluiniſmus, nugatorem plus quàm rancidum. Quid enim in hac mea argumentatione vitij eſt? Nihil ſuperſtitionis in precationibus ſanctiſsimi Patres eſſe putauerunt, cùm certo numero,

ſtatiſque

ſtatiſque temporibus eas inſtituerēt, vt Dauid, in Pſalmis. Daniel cap. 6. Filij Iſrael. Neemiæ 9. cap. Apoſtoli Act. 2. 3. 10. Totaque deinceps Eccleſia: ſumus ergò & nos à ſuperſtitione liberi, cùm more inſtitutoque talium maiorum certo numero et tempore preces noſtras inſtituimus. Quid dicis Canonice S. Spiritus ad hanc argumentationem? Video enim conſequentiam meam eſſe oppidò bonam.

An potes negare tu Danieli Prophetæ in mentem veniſſe, vt ſingulis diebus ter flexis genibus Deum oraret & adoraret? *Tribus temporibus*, inquit Scriptura, *in die flectebat genua ſua & adorabat, confitebaturq́; coram Deo ſuo*, hoc eſt, tertia ſexta, & nona hora, vt Eccleſiaſtica, inquit Hieronymus, traditio habet. Si de Daniele id conſtat, cùr non idem vel eò ampliùs factum eſſe à Dauide viro ſecundum cor Dei exiſtimemus? Nam pluribus eum temporibus, quàm 3. 6. & 9. oraſſe, magnas habemus coniecturas ex ſolis Pſalmis. Nocturnarum enim precum exemplum exſtat Pſal. 118 *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Laudum matutinarum verò Pſal. 62. *In matutinis meditabor in te.* & 118. *preuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Horæ primæ Pſal. 5. *mane exaudies vocem meam.* Veſperarum Pſal. 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quare & illa verba Pſal. 118. ſepties in die laudem dixi, (etiam ſi tuam non repudient interpretationem) referri poſſunt, vel ad ſtata 7. tempora, quibus Dauid orauerit, vt indicat Hieron. ſicut omnes filij Iſrael Nehemiæ 9. cap. octo ſtatis temporibus oraſſe dicūtur, vel ad ſeptem tempora, quibus oratura erat Chriſti Eccleſia, quòd his verbis Propheticè prænunciauit, vt exponit Caſsianus lib. 3. de inſtitutis monachorum, Caſsiodorus olim Conſul Romanus, & Eutymius Zygabonus in comm. Pſal. 118. Monachi quidem illi, ſed longe veſtris Monachis Luthero, Bucero, Oecolampadio, Pelicano, Martyri doctrina vitæque probitate anteferendi. Ac in voce quidem (ſepties) vel numero ſeptenario myſticam quandam ineſſe ſignificationē annotauit non Monachus B. Hilarius. Imò Hieronymus in apologia ad Pammachium, quam paulo ante citaſti, ſcribit de impari numero diſputaſſe Clementem, Hyppolitum, Origenem, Dionyſium, Euſebium, Dydimum, Tertullianum, Cyprianum, Victorinum, Lactantium, Hilarium; & Hilarium, quidem de ſeptenario numero magna diſputaſſe, teſtimonio eſſe eius ad Fortunatum librum. An hi oñs ſint ſupſtitioſi, tu ſuperciliosè cenſe. Audiamus nūc de Chriſto & Paulo.

Dan. 6.

Hila. in Pſal. 118.

G Ad

Pag. 21. 22. *Ad Chriſtum,* inquis, *quòd attinet, neq; ille eâdem vice ter eundem ſermonem repetiuit, ſed tertio reuerſus: neq; eundem ſermonem quoad verba repetiuit, Sed tantùm quoad ſenſum, hoc eſt, eandem rem à Patre petijt: quàm dictionem ſacram ſi tu non intelligis, indignus es, qui ſacra tractes, Paulus deniq; cùm ſcribit ſe ter Dominum rogaſſe, nihil aliud intelligit quam quod veſter interpres Lyranus primo loco in explicatione ſua ponit: nempè quod ſæpè Dominum rogârit. Quid hîc pro numero veſtrarum precum? Et fac ter Paulum ſic oraſſe, num vna eademq; hora? Et num poſtea triplicatas illas preces vnquàm repetiuit? Num Mariæ obtulit? Num mercedem poſtulauit? O imitatores non Pauli ſed Saulis, non Chriſti ſed Antichriſti, non Dauidis ſed Neronis. non Angelorum ſed Diabolorum. Atq; hæc ex Biblijs deſcripta ſunt, veſtræ ſi quis credat negotiationis cum Deo exempla. Cætera quæ aliunde comportaſti partim fabuloſa ſunt, partim vitioſa, &c.*

Eâdem ſemper oberras & aberras chorda. Non eſt hîc quæſtio de obiecto orantis, ad quod dirigi debeat oratio; nec de fine, quẽ debet ſibi proponere; nec de repetitione orationis varijſq; repetendi modis, hoc eſt, vt eâdem vice vel diuerſa eiſdẽ verbis vel ſententijs repetatur. Nam potuiſſes eadẽ arte obijcere Chriſtum vel Paulũ non vſos Roſario, cùm tertiò eandẽ orationem iterarent. Amputo ergò hæc omnia, vt ſuperuacanea, & de quibus plus quàm optes, tibi reſponſum eſt. DE NVMERO omnis eſt controuerſia. Numerum in repetitione orationum Chriſti fuiſſe inficiari non potes, quia Mattheus & Marc. diſertè ſcribunt Chriſtum tertiò EVNDEM SERMONEM orauiſſe. Quod non video, cùr non etiam de IISDEM VERBIS intelligi poſſit, cùm ſermo & verbũ in tuis Lexicographis ſint Synonyma, & idcircò vbi nos legimus Ioã. 1 *In principio erat Verbum.* Vos legitis, *In principio erat Sermo.* Euangeliſtæ quoq; iiſdem ferè verbis ſermonẽ Chriſti expreſſerunt nempè his: *Pater ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamẽ non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Si verò dicamus Chriſtum eundem ſermonem tantùm ter repetiuiſſe quoad ſenſum, vt tu contendis, ſed non probas, nihil poteſt instituto noſtro obeſſe: quia ſatis nobis eſt repetitionẽ illam factam cum certo numero, non fortuitò, ſed partim ad declarandam, auctore Chryſoſtomo Monacho, humanæ imbecillitatis veritatem. (Ternarius enim numerus, vt habet Monachus Theophylactus, eſt veritatis demonſtratiuus & confirmatiuus) partim ad ſignificandum aliquod myſterium. Ita Monachus, Hieronymus, *Ter,* inquit, *diſcipuli dormiunt, & ter dominus orans ſuſcitat. Terna dormitatio, tres mortuos quos dominus*

minus ſuſcitauit, ſignificat. Primum in domo. Secundum ad ſepulchrum. Tertium de ſepulchro. Tertia vigilia Domini, tres perſonas habere nos in orando docet: & de præteritis & præſentibus & futuris veniam rogare. Et Monachus Aug. lib. 1. quæſt. Euangel. q. vlt. *Sicut tentatio cupiditatis trina eſt, ita, etiam tentatio timoris trina eſt,* &c. *Non abſurdè ergò intelligitur propter trinā tentationem paſſionis ter dominū oraſſe, vt tranſiret calix, ſed ita vt potiùs impleretur voluntas Patris.* Et Monach9 Rabanus Mog. Archiepiſcop. *Orauit Chriſtus ter, vt omnem orationem ad Patrem, & ad filium, & ad Spiritum ſanctū dirigamus, & vt integer ſpiritus, & anima & corpus ſeruetur.* Adde tu, vt perfecta ſit harmonia, Monachum Lyram. *Ter orationem Chriſtus, inquit, replicat, ter diſcipulos dormientes viſitat, ſicut ter fuerat tentatus, vt liberet nos primò à malis præteritis per veniam, ſecundò à præſentibus per tutelam, tertiò à futuris per cautelam.* Hieron. in Mattheum.

Hoc exemplum Chriſti credo ego ſecutum eum, qui gloriatur non ſemel ſe imitatorem eſſe Chriſti: cùm tentatione graui pulſatus *ter Dominum,* trinum videlicet inquit Monachus B. Anſelmus, *orauit.* Tu rideas & Monachos & Monachorum reſponſiones: ſed riſu non ſoluuntur argumenta. Si Eccleſiæ Chriſti ademeris. Monachos, clariſsima lumina & columina ademeris. An ignoras Auguſtinum, Hieronymum, Baſilium, Ephrem, Gregorium Naz. Chryſoſtomum, Gregorium Magnum, Fulgentium, Epiphanium, Caſsianum, Damaſcenum, Euagrium Caſſiodorum, Rabanum, Haymonem, Bedam, Anſelmum, Bernardum alioſque quàm plurimos fuiſſe Monachos? O imitatores non Monachorum piorum, ſed Apoſtatarum: non Pauli, ſed Saulis: non Chriſti ſed Antichriſti: non Dauidis, ſed Semei: non angelorum ſed diabolorum. Iam verò & de fabuloſis vitioſiſq; exemplis, vti tibi quidem videntur, reſpondeamus.

Fabuloſum eſt, quod narrat Abdias Babylonius: D. Bartholomæi auditor, vt tu dicis: Simonis ac Iudæ comes in Perſiam, vt ipſe de ſe ſcribit: ab interpretibus auctus, vt ipſimet fatentur, & ex ſerie narrationis liquet: nominatim ex lib. 6. in quo Abdias, qui Chriſtū in carne vidit, citat Iuliū Affricanū, qui circà annū Chriſti 220. claruit. Pag. 22.

Si quicquid tu ſomnias fabuloſum eſſe, fabuloſum eſſet, crederem quoq; fabuloſum eſſe quod narrat Abdias. Qui licet cum Simone & Iuda è Iudæa in Perſiam venerit, vt ipſe dicit, tamen inde non ſequitur eum vel antè vel poſt, cùm Babylonem illi deſeruiſſent, Bartholomæi auditorem fuiſſe. Nam ſi viderat DOMINVM in carne, vt ipſe fatetur in libro Sexto & Apoſtolorum omnium

fuerat diſcipulus, vt in præfatione dicit Africanus, & multis Apoſtolis cùm morte decederent, præſens adfuerat, vt animaduertit ex hiſtoria V. Lazius, mirum tibi videri non debet, cum quoque fuiſſe Bartholomæi auditorem. Eſt enim hoc argumentum ab vniuerſali ad particulare.

Rurſus, etſi ab interpretibus eſſet aucta Abdiæ hiſtoria, & alicubi nomen Africani inſertum: tamen inde non efficitur fabuloſa eſſe omnia, quæ in hac hiſtoria continentur. Nam alioquin fabuloſi eſſent veterum Catholicorum, & maximè hiſtoricorum libri, quos Euangelici veſtri Doctores ſuis additamentis hoc ſæculo corruperunt. Purgandus ergò potiùs tibi erat Abdias, quod iniuria temporum, vitioque ſcriptorum fortè, quæ erant in margine, tandem irrepſerint in textum, vti in quibuſdam locis S. Patrum, & vulgata editione Latina ipſius ſcripturæ accidiſſe, docti annotârunt. Sed tamen contendis fabuloſum eſſe exemplum meum de genuflexione centies à D. Bartholomæo repetita. *Abdias*, inquis, *narrat D. Bartholomæum centies per diem totiesq́; per noctem flexis genibus oraſſe* DEVM (*Nota, Deum non Mariam.*) *Quanquàm non in ſua perſona narrat, ſed dæmonis cuiuſdam ſermonem refert; Qui interrogatus à ſacerdotibus idoli Aſtaroth, qualiſnam eſſet Bartholomæus, vt ipſum poßint agnoſcere, ita eum deſcripſit.* Eſt capillo nigro & criſpo, caro illius candida, oculi grandes, nares æquales & directæ, aures coopertæ crine capitis, barba prolixa, habens paucos canos, ſtatura æqualis. Veſtitus colore albo, clauato purpura. Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas. Viginti ſex anni ſunt, ex quo non ſordidantur veſtimenta eius. Similiter & ſandalia eius, amentis latis, per 25. annos nunquàm veteraſcunt, CENTIES flexis genibus per diem, centies per noctem orat Deum. Vox eius quaſi tuba vehemens eſt. Ambulant cum eo Angeli Dei, qui non permittunt eum fatigari, non eſurire. Semper eodem vultu, eodem animo perſeuerat, omni hora hilaris & lætus permanet, omnia præuidet, omnia nouit. *Quæ deſcriptio perinde vera eſt, atq́; illud quod paulò poſt Abdias commemorat, D. Bartholomæum clauſo oſtio ad Polimium Regem Indiæ ingreſſum eſſe, & inter cætera dixiſſe*, Mariam Virginem, antequàm Angelus ad eam veniret, execratam eſſe omnem virum, (Matth. 1.) & perpetuam virginitatem primam Deo vouiſſe, *contra, quàm Euangeliſtæ ſcribunt.* (Luc. 1.)

Nota

Nota tu, quòd D. Bartholomæus centies flexis genibus orauerit. Nam de numero orationum in hac theſi eſt quæſtio, vt aliâs monui. abrogare niteris autoritatem hiſtoriæ Abdianæ, eò quòd Dæmones coacti à ſuis ſacerdotibus idololatris deſcripſerint qualis eſſet D. Bartholomæus. Abroga etiam auctoritatem Euangelijs, quia in illis deſcribunt dæmones & profitentur, qualis ſit Chriſtus, nempe *filius Dei*, & *ſanctus Dei*. Abroga autoritatem hiſtoriæ B. Gregorij Taumaturgi, cuius autor eſt Gregorius Nyſſenus, in qua ſimile exemplum inuenies. Matth. 8. Luc 4. Mar. 1.

Deſcriptionem autem D. Bartholomæi veram eſſe ex tuo ipſius iudicio conuinco, quia dicis, *perindè veram eſſe, atq; verum eſt Mariam Virginem perpetuam virginitatem primam Deo vouiſſe*; quod veriſsimum eſt. Cùr enim dixit ad Angelum Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, niſi quia per votum virginitatis obſtrinxerat ſe Deo? Vnde Auguſt. in lib. de ſancta virgin. c. 4. *Quod profectò*, inquit, *non diceret B. Virgo, niſi Deo virginem ſe ante* VOVISSET. *Sed quia Iſrahelitarum mores hoc adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentes cuſtodituro, quod illa iam* VOVERAT. Ex quibus Auguſtini verbis facilè intelligis, illam quoq; PRIMAM fuiſſe, quæ perpetuam virginitatem vouerit; quia Iſraëlitarum mores ante ipſam recuſabant virginitatem. Exod. 23. Non erit infecunda, nec ſterilis in terra tua. Vnde *Propoſitum*, inquit BEDA, *ſuæ mentis reuerenter expoſuit, vitam virginalem videlicet ſe ducere decreuiſſe: quæ quia* PRIMA *fœminarum tantæ ſe virtuti mancipare curauit, iure ſingulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere.* Vide P. Caniſium lib. 2. de B. Maria Virg. cap. 14. Hom. de feſto Annun. & ſerm. 4. in aſſumpt. Mariæ.

Si verò virginitatem perpetuam vouit, mirum non eſt, quòd à viri conſuetudine fuerit aliena, vel, quod duriùs dixit interpres, *execrata eſt virum*; nec enim poterat poſt votum ſine ſacrilegio cum viro habere commercium. Dices hoc dogma pugnare cum Euangelio Matth. 1. Luc. 1. Nego. nam poſt deſponſationem factam cum viro, conſentiente viro virginitatem vouit; quod quidam quoque ex veſtris Prophetis docuit. Henr. Buling. in cap. 1. Luc.

Cùr verò tibi fabuloſum ſit, quod Bartholomæus clauſo oſtio adierit Indorum Regem, non ſatis intelligo: niſi quòd ſuſpicor te exiſtimare, nec naturali nec diuina potentia id fieri potuiſſe. Nam

 in Eu-

in Euangelijs, cùm quæſtio eſt de Chriſto, an clauſis ianuis diſcipulos acceſſerit, reſpondere ſoletis eum per feneſtram, vel rimas ianuarum clauſarum penetraſſe, vel certè ianuas virtute diuina aperuiſſe. Id ſi verùm eſt, cùr tu non eodem modo hîc de oſtio clauſo interpretaris verba Abdiæ? Sed infortunatum Magiſtrum tuum percontare, quid de clauſis ianuis Valentianus Ieſuita ſuperioribus nundinis reſponderit.

Lib. 3. de reali præſ. cap. 2.

Hæc cùm ita ſint, tuo ipſius iudicio neceſſe eſt decernas deſcriptionem ipſam D. Bartholomæi fabuloſam non eſſe. Si verò in ea quidpiam fabuloſum eſt, age dic quid ſit? An fortè illud eſt, quod aſſerit eum *omnia præuidiſſe, omnia nouiſſe?* Sed paulò poſt ipſe Abdias exponit, quòd per adminiſtratorios ſpiritus angelos omnia cognouerit. An quòd dicit viginti quinque annis veſtimenta eius non inueterauiſſe? At quadraginta annis non inueterârunt per miraculnm toti populo Iſraël. An quòd faciat *eum purpuratum, cæteros Apoſtolos pannoſos?* At dubium non eſt, eum non eſſe vſum veſte purpurea. Si enim veſtitus eius erat albus, & pallium album, quis locus relinquitur purpuræ? Dices, quid ergò vult illud CLAVATO PVRPVRA. Quæro ego ex te, quid in Lampridij Alexandro ſignificent, *mantilia cocco clauata?* Conſule Calepinum, & diſces veſtes dici *purpura vel cocco clauatas*, quæ nodis purpureis clauorum ſimilitudinem referentibus diſtinguuntur. Qui nodi ſi ſingulis angulis vel veſtis vel pallij albi affigantur, quandam gemmarum ſpeciem repræſentant. Ex qua explicatione facilè, niſi hebes es, facere coniecturam potes, habitum B. Bartholomæi nihil diſcrepaſſe ab habitu omnium Iudæorum communi, qui fimbrias vel vittas hyacynthinas (hyacynthos autem eſſe purpureos nemo neſcit) quatuor angulis palliorum ſuorũ aſſuere ex mandato diuino Num. 15. & Deut. 22. tenebantur. Quo habitu vſus videtur & Chriſtus. Vnde Euangelica illa hæmorrhoiſſa Matth. 9. fimbriam veſtimenti Chriſti maximè conata eſt attingere, quòd ea inſigne eſſet ſanctitatis & diſtinctionis populi Iudaici ab alijs gentibus.

Quanquàm quid ego tantoperè laboro pro defenſione huius hiſtoriæ; cùm libenter aſſentiar eam ne quidem apud noſtros Catholicos Doctores plenam obtinuiſſe autoritatem, reponendamq́; inter

libros

libros, qui iudicio Eccleſiæ nec probati, nec repudiati fuerunt? itaq; obſeruandum, quod B. Hieronymus de inſtitutione filiæ ad Lætam de Apocryphis ſcripſit, vt *ſi quando non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere huiuſmodi libros voluerimus, ſciamus non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaq; his admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere.* Cuius præceptionis Hieronymianæ memor ego ex tota Apoſtolorum hiſtoria, quam tu putas, luteam, aureum exemplum de centenaria genuflexione D. Bartholomæi excerpſi, quod multi alij non contemnendi autores, vt S. Antoninus, Vincentius Bellou. & Theodorus Studites Abbas Conſtantinopol. commemorant: ſed tibi Luteri diſcipulo omnia videntur Lutea. Nec mirum, quia paulò poſt etiam probatos Scriptores facis fabulatores, & exempla eorum vitioſa.

Vitioſa, inquit, *exempla ſunt cætera tria. Macarij, Pauli Aegyptij, & virginis cuiuſdam, vt Palladius refert alioquin inſignis fabulator in Lauſiaca, quæ dicitur hiſtoria, Sect. 21. Nam apud Socratem, quem tu etiam citas, nihil tale reperitur.* Pag. 24.

Αὐτὸς ἔφα. *Vitioſa ſunt exempla.* Quare? Quia ſtudioſus Heydelbergenſis dixit. *Palladius eſt inſignis fabulator.* Quare? Quia ita videtur. Mihi verò videris valdè eſſe impudens, qui autorem tam priſcum, Gregorij Nazianzeni, Hieronymi & aliorum æqualem audes in numero ponere INSIGNIVM fabulatorum. Si is fabulator eſt, fabulatores ſint omnes grauiſsimi hiſtorici Socrates, Sozomenes, Caſsiodorus, Theodoretus, Euagrius, Simeon Metaphraſtes, Nicephorus, qui partim iiſdem, partim ſimilibus cum Palladio in hiſtoria ſcribenda exemplis vſi fuerunt. In primis verò Sozomenes & Caſsiodorus, qui exemplum habent de Paulo AEgyptio, & Socrates qui de noſtro Palladio ita ſcripſit. *Si quis ſtudio ducitur accuratè cognoſcendi, quas res plurimi viri pietate præſtantiſsimi in monaſterijs geſſerint, quo pacto ſe in vita exercuerint, quæ ad audientium vtilitatem locuti fuerint, quo modo beſtiæ illis obtemperârint: legat librum à Palladio monacho, qui Euagrij fuit diſcipulus, ſeparatim de illis editum. Nam omnia quæ ad eos ſpectant, in eo ſunt accuratè explicata: in quo etiam de mulieribus, quæ parem viuendi rationem cum viris ſupradictis excolebant, ſermo ſuſceptus eſt. Euagrius verò & Palladius paulò poſt mortem Valentis floruerunt.*

Sozom. lib. 4. c. 29. Caſsiod. lib. 8. c. 1. Socrat. lib. 4. hiſt. c. 18.

THESIS

THESIS XI.

IAm ſi pia myſticáue ſignificatio à numero non abſit, vt certè non abeſt, nec in numero orationum Roſarij, nec in allatis exemplis, (Ternarius enim SS. Trinitatis, Septenarius donorum Spiritus Sancti ſymbolum eſt) nihil erit in numero, quòd probari non poſsit. Nam quinquies orationem Dominicam repetimus, vt quinque Chriſti vulnerum memoriam refricemus. Salutationem verò angelicam cuique orationi decies ſubijcimus, vt in mentem nobis veniat 10. Dei mandatorum. Eandem quinquagies toto Roſario iteramus, vt plenam peccatorum remiſsionem, quæ quinquagenario numero Iubilæi in ſcripturis diuinis ſignificatur, interceſsione Beatiſs. Virginis per merita Dominicæ paſsionis conſequamur.

CALVINISTA.

ALterum argumentum hoc eſt pro Numero precum à diſſentaneis du-
Pag. 24. 25. *ctum in hunc modum.* Quod eſt myſticum, non eſt ſuperſtitioſum. Numerus Roſarij eſt myſticus. Ergò non eſt ſuperſtitioſus. *Aſſumptionem primùm illuſtrat Diſputator comparatione eius numeri, qui eſt in exemplis ſacris antea allatis.* Nam, *inquit*, Ternarius numerus Trinitatis, Septenarius 7. donorum Spiritus Sancti ſymbolum eſt. *Sed Symbolum hoc à quo eſt factum? Ab hominibus. Atqui ſolius Dei eſt inſtituere ſacræ rei ſigna Et vt de numero ternario tibi largiar, eum in Cantico Angelorum eſſe ſymbolum Trinitatis diuinitus ordinatum, an idcircò erit etiam ſymbolum Trinitatis in terna precatione Pauli? De donis autem Spiritus ſancti, vide quam argutè argumentemini. Eſaias cap. 11. enumerat tantùm ſeptem dona S. S. ergò ſunt tantùm 7. Item. Charitatem, gaudium, pacem, &c. Paulus Gal. 5. Non nominat dona, ſed fructus S. S. Ergò non ſunt dona S. S. Ac proinde rectè dicit Romana Eccleſia eſſe tantùm 7. dona S. S. Atq; hæc eſt illuſtratio aſſumptionis.*

CATHOLICVS.

ALterum hoc argumentum meum non à diſſentaneis, ſed à conſentaneis ductum eſt. Conſentaneum enim eſt, vt inſtrumenta vel ritus piarum exercitationum piam quoque habeant ſignificationem. Argumentum verò tuum fateor à diſſen-

à diſſentaneis ductum eſſe, cùm ſic argutaris. *Solius Dei eſt inſtituere ſacræ rei ſignum: ergò ternarius numerus non eſt Symbolum Trinitatis.* Ergò baculus ſtat in angulo. Videris enim exiſtimare nos ex ternario, ſeptenario, alijſque numeris facere nouæ legis Sacramentum. *Sacramentum enim eſt ſignum rei ſacræ.* Sed pueri noſtri nôrunt hos numeros non eſſe Sacramenta, licet ſint ſacræ rei ſigna, quia in Catechiſmo ita definitur. *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ad noſtram ſanctificationem diuinitùs inſtitutum.* Solius Dei eſt inſtituere ſignum rei ſacræ hominem ſanctificantis, non autem ſolius Dei eſt, inſtituere ritus & cæremonias earumque ſignificationem homines non ſanctificantem, ſed Magiſtratuum quoque Eccleſiaſticorum, qui poteſtatem à Deo acceperunt. 1. Cor. 11. *Cætera autem cùm venero diſponam.* Quare dubium non eſt, quin veſtra Sacramenta cùm ſint infirma, egena, & inutilia, hoc eſt, nuda rei ſacræ ſigna, quæ non efficiunt, quod ſignificant, ab hominibus inſtitui poſsint.

De Angelorũ Cantico, & terna precatione tùm Chriſti, tùm Pauli, ſuperiore theſi reſpondi. Quæ verò hic diſputas de numero donorũ Spirituſſancti, prorsùs ſunt diſſentanea huic materiæ, & à te ementita. Vbi enim ego probaui eſſe tantùm ſeptẽ dona Spirituſſancti? Aut vbi probauit Catholicorum aliquis? Et ſi quiſpiam probaſſet TANTVM eſſe ſeptem ex cap. 11. Iſaia, quomodo tu probationem illam euerteres? An fortè tu Doctior ſcilicet & exercitatior in ſcripturis, quàm veteres Patres, nuper inueniſti octauum donum, vt fias octauus ſapientum? Lege B. Cyprianum lib. 1. contra Iudæos. cap. 20. Hilar. can. 15. in Matth. Auguſt. lib. 12. contra Fauſt. cap. 15. Et in primis Greg. Naz. orat. in S. Pentecoſten. Ex quibus diſcere potes, quàm turpiter ignoras, numerum donorum S Sancti. Sed perge fabulari.

Probatio, inquis, *ſequitur planè Magiſtralis.* Orationem Dominicam repetimus quinquies: vt quinque vulnerum Chriſti memoriam refricemus. *Et quis hoc diuinaſſet? Chriſtus orationem Dominicam nobis tradidit, vt ſummam rerum à Deo petendarum in conſpectu haberemus: de myſterio iſto verbum nullum.* At bonum tamen eſt vulnerum Chriſti recordari. *Bonum quidẽ eſt idipſum, ſed non ſunt facienda mala, vt eueniãt bona. Si vis recordari vulnerum Chriſti, ſubinde relegito Hiſtorias Euangeliſtarum, & Epiſtolas Paulinas, in quibus Chriſtus ad viuum eſt depictus. Et quæſo te, quam analogiam habet quinquies repetita oratio Dominica cum quinq; vulneribus Chriſti? Potiùs* Pag. 25. 26.

manum tuam intuereris, & in illa quatuor coniuncti digiti quatuor clauos, quibus Chriſti manus ac pedes transfixi ſunt: pollex verò lanceam, qua latus eſt apertum, ſibi repræſentarent.

Probatio mea fuit magiſtralis, quia ego ſum artium Magiſter: reſponſio verò tua ne quidem eſt Baccalaurealis, quia nec Magiſter es, nec Baccalaureus, ſed Ioannes ſine nomine. Quod non diuinaueris myſteria noſtri Roſarij, mirum non eſt: *nam animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Apud nos verò etiam pueruli infimæ claſsis ſine diuinatione callent hæc myſteria. Si verò Chriſtus rationem precandi Roſarium inſtituiſſet, procul dubio huius quoque myſterij vos commonefeciſſet. Sicut cùm inſtituit Euchariſtiam, commonefecit nos, vt Hoc faceremus in ſuam commemorationem. At quia Chriſtus non omnia, ſed præcipua tantùm, & quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria, præſcribere voluit (neque enim à ſalute excideris, ſi Roſarium non oraueris) ideò promiſit miſſurum ſe Spirium ſanctum, qui nos doceret deinceps omnem veritatem, per os Eccleſiæ quæ eſt, teſte Apoſtolo, *columna & firmamentum veritatis.* Hæc autem Eccleſia à Spiritu ſancto docta ſalutarem eſſe Paſsionis Chriſti, cùm in omnibus rebus, tùm verò maximè in oratione, recordationem, in ritu quoque precandi Roſarium, certum numerum calculorum eſſe voluit, vt eorum tactu vel conſpectu, tùm rudes, qui hiſtorias Euangeliſtarum & epiſt. Paulinas nec habent, nec legere poſſunt (quorum infinitus eſt numerus) tùm docti, quibus non vacat ſemper libros circumferre, aut legere, memoriam quinque vulnerum Chriſti refricarent. Vnde fit, vt in templis noſtris, quæ ſunt Domus orationis, omnia ſint plena imaginum crucis Chriſti, vt intelligeremus tùm maximè renouandam eſſe memoriam vnici Mediatoris noſtri, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, cùm vacamus orationi.

1. Cor. 2.

1. Timoth. 3.

1. Tim. 2.

Quoniam verò non omnes Chriſtiani in templis conueniunt, vel varò conueniunt, paucisſimi quoque vacant Euangelijs vel epiſtolis Paulinis legendis, idcircò pij maiores non in templis modò, ſed etiam in publicis vijs & agris crucis ſigna collocârunt, vt vel inuitis nobis in oculos incurrerent. Quod multò magis primis Eccleſiæ effloreſcentis temporibus factitatum fuiſſe, quàm nunc, clarè oſtendunt hæc verba B. Ioan. Chryſoſtomi. *Maledictus omnis*, inquit, *dicebatur*,

In demonſtr. quòd Chriſtus ſit DEVS.

dicebatur, qui penderet in ligno. Verum hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum CRVX, *diadematibus & coronis clarius factum eſt. Neq; enim ſic regia corona ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior: & quam omnes priùs abhorrebant, eius figuram tantoperè quærunt: atq; adeò vbiq; ea inuenitur apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos: ſubinde omnes ea ſe ſignant inſcribendo in nobiliſsimum membrum noſtrum. In fronte enim noſtra, quaſi in columna quotidie figuratur. Sic in ſacra menſa, ſic in ſacerdotum ordinationibus, ſic iterum cum corpore Chriſti, in myſticis cœnis fulget. Hanc* VBIQVE *celebrari videre licet in domibus, in foro, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs & inſulis, in lectis, in veſtibus, in armis, in thalamis, in ſympoſiis; in vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmone obſeſſis &c. Adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira eſt hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans quòd maledictæ mortis ſymbolum fuerit, ſed omnes ipſo magis ornantur, quàm diadematum coronis vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non ſolùm non fugitur, ſed & deſideratur & amatur, & omnes de ea ſolliciti ſunt, & vbiq; fulget, & ſparſa eſt in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur & quæ non habitantur.* Hæc ille.

Vos verò vt ex hominum animis memoriam Chriſti crucifixi euelleretis, primùm ab agris & vijs publicis, tùm à domibus priuatis, poſtremò etiam à templis (atque ſi adhuc eſſet maledictum & abominabile) ſignum crucis remouiſtis. Quid reſtat niſi vt ex Euangeliſtarum quoque hiſtorijs, epiſtolisq; Paulinis, in quibus Chriſtus crucifixus *ad viuum*, vt tu dicis, *depictus eſt*, eradatis? Non enim dubitauit veſter Papa Gallicus, vt Schmidelinus eum appellauit, nuper in Colloquio Mompelgartenſi hæc verba euomere. Beza. FATEOR *me ex animo deteſtari Crucifixi imaginem, quæ eſt imago crudelitatis Iudæorum in Chriſtum, ideò eam non poſſum ferre. Laudatur Ezechias, quòd contriuerit ſerpentem æneum, ita* LAVANDOS *eos exiſtimo, qui ad cauendam idololatriam Crucifixi imaginem abolent.* Pag. 418. Confer quæſo pie Lector hæc verba βλασφημοσόμα cum verbis Chryſoſtomi.

Quò verò pertineat, quod hîc ſcribis, *Bonum quidem eſſe vulnerum Chriſti recordari, ſed non eſſe facienda mala vt eueniant bona,* non video, niſi vt

petas principium, non eſſe, nempe facienda mala, hoc eſt, non eſſe quinario numero dicendas orationes Dominicas; cùm tamen ego probârim ideò pium & bonum eſſe tali numero dicere, quia bonum eſt vulnerum Chriſti recordari.

Quæris deinde *quam analogiam habeat quinquies repetita oratio Dominica, cum quinq; vulneribus Chriſti*; Quæro ego viciſsim, quam analogiam habeat hedera cum vino vendibili? certè nullam, & tamen quamprimùm vides præ foribus alicuius hederam, meminiſti vini vendibilis, & ex recenti memoria mittis pauperem ſtudioſum, qui menſuram vnam alteramué afferat ad recreandos alumnos, ne melancholia pereant. Dices, profanum eſſe hoc exemplum. Accipe ſacrum. Deus, Num. 15. & Deut. 22. mandauit Iſraëlitis, vt fimbrias facerent in angulis palliorum, ad retinendam memoriam mandatorum Dei. Hîc quæro ex te, quam analogiam habeant fimbriæ cum Dei mandatis?

Numero quatuor digitorum ad renouandam memoriam clauorũ vti non poſſumus, quia nulla, ne numeri quidem eorum analogia eſt ad clauos, cùm tantùm fuerint tres, vt patet ex picturis; ſed quia apud vos omnes imagines abolitæ ſunt, tu quoq; ignoras, quot clauis Chriſtus fuerit crucifixus. Fuit autem tribus; vt diſcere potes ex his verſibus Greg. Nazianz. quos habes in Tragædia Chriſti patientis.

Ἔπειθέ μοι, φέρω μὲν ὄλβιον βάρος
γυμνὸν τριςήλῳ κείμενον ξύλῳ.

Et vt quatuor fuiſſent, quod quidam aiunt, tamen digitorum opera ad habendã eorum memoriam non indigeremus. Nam ſufficiunt nobis cruces & imagines pictæ & fictæ in hunc finem. Vos autem cùm imagines omnes, rituſque ſacros exterminaueritis, certè indigetis opera digitorum, quos nemo vobis abſcindet, ad retinendam memoriam rerum multarum. Quinque quidem digitorum vnius manus, pro quinque vulneribus vnius Chriſti; Decem verò digitorum & duarum manuum pro 10. mandatis, & duobus mandatis maximis Diliges Dominum &c. & Diliges proximum ſicut teipſum. Deinde ais.

Pag. 26. VERVM *quid deinde facitis? Salutationem Angelicam* cuique orationi decies ſubijcimus, vt in mentem nobis veniat decem mandato-

rum

rum Dei. *Fatui,cur non eàdem, imò triplo minori opera Decalogum ipſum recitatis, tumq́; ſimul & in mentem, & in os, & in aures: & ſi ex libro legeretis, etiam in oculos mandata Dei vobis venirent. Et, ſi orationem Dominicam ad Deum ipſum dirigitis, vt videri vultis, cùr ſæpiùs Mariam, quàm Deum adoratis? Cùr decuplo maiorem honorem creaturæ, quàm creatori datis? Itané diuinæ legis recordamini? Vt profani milites vulnerum Chriſti & ſacramentorum recordantur.*

Fatui ſumus, ſi fatui ſunt omnes, qui crebriùs multisque modis renouant mandatorum Dei memoriam. Decalogum recitamus, cùm repetendus eſt Catechiſmus. Ex libro legimus, cùm inſtruendus eſt intellectus. Salutationem angelicam decies in Roſario iteramus, cùm iuuante B. Virgine orandus eſt DEVS. Hæc oportet facere, & illa non omittere. Cùm ergò in oratione id imprimis à Deo petendum ſit, vt mandatis decem, adiuuante eius gratia, interuenientibusque Deiparæ precibus, obſequi poſsimus, quid quæſo peccamus, ſi ipſa orationis forma nos horum mandatorum commonefaciat?

Qua commonefactione, puto, vos non indigetis, quia mandata Dei apud vos grauia ſunt, & obſeruatu impoſsibilia; ac proinde nec gratiam ea obſeruandi à Deo petitis; quia peteretis, quod eſt impoſsibile. Cætera, quæ ſubiungis, ſcatent mendacijs & calumnijs. Orationem enim Dominicam ad Deum, vt tu tandem fateris, dirigimus; & non ad Mariam, vt anteà de nobis finxiſti. Nec ſæpiùs Mariam, quàm Deum adoramus; quia ne adoramus quidem eam. Solus enim Deus adorandus eſt, nempe cultu λατρέιας. Non decuplo maiorem honorem creaturæ, quàm creatori damus, ſed millecuplo minorem, quanto creatura minor eſt creatore. Veneramur enim eam eo tantùm genere officiorum, quæ in creaturam ſecundum Deum ſummo honore affectam, conuenire poſſunt. Itaq́; laudamus eam vt gratia plenam, vti Lucas in Actis laudauit Stephanum, & imploramus eius auxilium vt oret pro nobis, ſicut Paulus Romanorum & Coloſſenſium auxilium implorauit, vt orarent pro ipſo. Et quamuis quinquagies vel millies ab ea peteremus, vt pro nobis oraret, ſemel autem vel quinquies à Deo Patre, vt debita noſtra dimitteret, tamen hæc petitio longiſsimè illam ſuperaret, quantum nempe excellentiùs eſt, peccata remittere, quàm pro alio orare. Remittere enim peccata non poteſt, niſi qui eſt infinitæ virtutis, & DEVS. Orare verò pro alio poteſt, qui eſt finitæ virtutis, & creatura. Quòd verò addis, *nos ita diuinæ legis*

recordari (interpretor, in oratione Roſarij) *vt profani milites vulnerum Chriſti & Sacramentorum*, dùm iurant & blaſphemant, calumnia eſt, non hominis, ſed Beelzebubi. Qualis eſt & in ſequentibus tuis verbis.

Tune, inquis, *idololatricis tuis precibus, & numeris Aegyptijs remiſsionem peccatorum promereberis apud Deum?* Quis enim Catholicorum docuit nos numeris remiſsionem peccatorum apud Deum promereri? Et tu numeros, audes vocare Aegyptios, qui in tota vetere ſcriptura ſunt ſacroſancti & myſteriorum pleni, vt docet loco citato Nazianzenus,
Pag. 27. & alij? *Quorſum igitur*, inſtas, *quinquaginta nummi, quos annumeres? vt Maria, ais, pro me intercedat, quo meritum Chriſti adipiſcar.* Ad me venite, *inquit Chriſtus*, (*& hoc dictum ſacrilegi nebulones ad Mariam accommodârunt. Sic enim canunt Pſal. 2. in Pſalterio Mariæ.* Venite ad eam omnes, qui laboratis & tribulati eſtis, & refrigeriũ & ſolatium dabit animabus veſtris)
Ioan. 6. *nulla hîc interceſsione eſt opus: eum qui venerit ad me non eijciam foras. Non enim*
Hebr. 5. *habemus Pontificem, inquit Auctor ad Hebræos, qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus, (ſimiliter atq; nos) excepto peccato.*

Et hîc calumnia eſt, eaque multiplex. Quis enim dixit, quis ſcripſit, nos quinquagies ſalutationem angelicam tanquam nummos annumerare? Quis docuit nos eam anuumerare, *vt Mariæ interceſsione meritum Chriſti adipiſcamur*? cùm ſecundum Doctrinam Catholicam ἀ δύνατον ſit, vt meritum proprium Chriſti fiat noſtrum: alioquin & nos eſſemus Chriſti, ſicut vos, qui per fidem, meritum Chriſti facitis veſtrum. Tua ergò tantùm ſomnia, commenta, mendacia nobis obtrudis. Longè alio, quàm ad Chriſtum, eoque pio & ſano ſenſu ab auctore Pſalterij, verba illa, *Venite ad me omnes*, transferri ad Mariam Virg. ſuperiùs dictum eſt. *De intelligentia* inquit B. Hilarius lib. 2. de Trin *hæreſis, non de ſcriptura eſt, & ſenſus non ſermo fit crimen.* Quare impurum os tuum claude, & deſine inter ſacrilegos Nebulones auctorem Pſalterij ſanctiſsimum doctiſsimumque virum Bonauenturam numerare. Quæro enim ſi quis Scultetus æmulator legis Zuinglianæ circa feſtum Paſchæ ruſticis ſuis de Miniſtro verbi loquens, verba Pſalterij vſurparet, *Venite ad eum omnes, qui laboratis & tribulati eſtis, & refrigerium & ſolatium dabit animabus veſtris*; Verborum autem hîc ſenſus eſſet: Venite omnes ad Miniſtrum verbi proximo die Sabbati poſt prandium, quotquot grauatam peccatis conſcientiam ſentitis,

&

& ille ex verbo Dei animas veſtras conſolabitur, ac ſequenti die Symbolo corporis Dominici reficiet, num, inquam, Scultetus ideò à vobis vocaretur ſacrilegus nebulo, & non potiùs ſanctiſsimus æmulator legis Caluinianæ? Quod autem tu ita interpretaris verba Chriſti. *Venite ad me omnes*, hoc eſt, nulla interceſsione opus eſt, cùr opus habuit B. Paulus interceſsione aliorum: cùr opus habuerunt omnes homines, omnes principes & magiſtratus, pro quibus petit fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones? hoc enim, inquit, BONVM *eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo.* Cùr dixit Iacobus. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Multùm enim valet deprecatio iuſti aſsidua?* Quid verò iuſtius ſanctis exiſtentibus in cœlo? Cùr denique quidam de veſtris admittunt ſanctos orare pro nobis in cœlo, ſi nulla opus eſt interceſsione? Quia verò *non habemus Pontificem*, vt inquit auctor epiſt. ad Hebræos Paulus, *qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato*, idcircò dubitare non debemus nos orationibus iuſtorum, quod per infirmitatem & negligentiam noſtram non poſſumus, à Chriſto impetraturos, taliúmque comprecantium ſocietate munitos non eijciendos foras, conuenienter promiſsioni Matth. 18. factæ. *Iterum dico vobis*, inquit, *quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt.* Verum fac finem tandem nugarum.

1. Tim. 2.

Iacob. 5.

Hebr. 5.

Et væ vobis, inquis, *ſacrificulis, ſi tam duram habetis patronam: vt vel quinquagies vos eam ſollicitare oporteat, donec illa ſemel pro vobis intercedat. Quanquam vtut res ha ſeſe haberent, nulla tamen eſt neceſsitas conſecutionis in hoc Ethymemate.* Pag. 28.

Quinquagenarius numerus Iubilæi ſignificat plenam peccatorum remiſsionem.

Ergò quinquaginta precibus continuo murmure iteratis, oportet Mariam inuocare, pro peccatorum remiſsione per Chriſtum conſequenda.

Si ſic ineptire libet, vel pluuiam ſiccam eſſe demonſtrabo, quia cras eſt dies Pauli.

Væ vobis potiùs verborum Miniſtris, ſi tam durum habetis Pontificem, vt non quinquagies tantùm, ſed ſine intermiſsione vos eum ſollicitare oporteat. Dixit enim vobis Luc. 18. OPORTET *ſemper orare & non deficere. Multum enim valet*, dixit ille, *deprecatio* iuſti ASSIDVA. Hoc eſt, Verbum & Mandatum ipſius Pontificis, qui poteſt affici ſenſu infirmitatum veſtrarum. Nos autem non habemus Verbum & Mandatum Dei, vt quinquagies vel aſsiduè ſollicitemus B. Virginem, & ideò ſollicitamus eam, quando & quoties volumus: ſiue quinquagies, ſiue centies, ſiue millies. Aliquando autem ſæpiùs eam ſollicitamus, non quòd duram illam putemus eſſe patronam. Abſit. Vocamus enim eam in quodam Cantico, *Matrem miſericordiæ, vitam, dulcedinem, ſpem noſtram*, ſed vt pro infirmitate noſtra aliquo modò aſsidua ſit deprecatio noſtra. Chriſtus enim duabus parabolis in Euangelio declarauit perſeuerandum eſſe in oratione. Quomodo autem perſeuerabimus in tam breui orandi formula, vt alibi ſum ratiocinatus, niſi identidem eandem iteremus? Quod ad Enthymema attinet, non antè id demonſtrabis meum eſſe, quàm demonſtraueris *pluuiam ſiccam eſſe, quia cras eſt dies Auctoris ad Hebræos*. Nihil enim ego de (*oportet*) & (de *Maria inuocanda*) ſum locutus, ſed tantùm expoſui, quemadmodum in numero certo orationum nihil ſit ſuperſtitionis.

THESIS XII.

CAlculi precarij reſtant, in quibus aliquid ſuperſtitionis hærere imperitis fortaſſe videatur, ſed reuera nihil hæret. Licet enim illis Chriſti fideles nunc laudabiliter vtantur tanquam Symbolo manifeſto Romanæ religionis: vſus tamen eorum, Patrum memoria in Eccleſiam non alia de cauſa primùm inductus eſt, quàm vt ne in numero orationum perſoluendo ſenſili tactu aſpectuque calculorum facilè aberraremus.

CALVINISTA.

R*Eſtat quinta pars Roſarij: Calculi videlicet, quibus rationes expenſarum precum, & accipiendarum indulgentiarum conficiuntur: quos noſter Demonſtrator precarios vocat, fortè, quia precario poßident eos Franciſcani. Non*

exagi-

exagitabo ineptam tuam occupationem. Argumentum ſaltem princeps ponderabo. Calculi precarij non ſunt ſuperſtitioſi, quia initiò ob hanc cauſam inuenti ſunt, ne ſenſili tactu in numero precum erraremus. *Mera eſt petitio principij. Nam hoc ipſum iam quæſitum eſt, an Deo certum numerum orationum perſoluere oporteat pro gratia mercanda, quod nondum obtinuiſti. Et nunc iterum quæritur, an non ſit ſuperſtitioſum, Deo preces calculis annumerare? Ito igitur & alia argumenta quære.*

CATHOLICVS.

VEſter demonſtrator Calculos illos vocat precarios, quia illis rationes expenſarum precum quaſi conficiuntur. Non autem vocat precarios, quia fortè precariò poſsident eos Franciſcani. Alioquin precariò & vos eos poſsideretis, quia eſtis Franciſcani. Quod probo hoc ſyllogiſmo. Quicunque habitant in monaſterio Franciſcanorum, ſunt Franciſcani. At vos habitatis in monaſterio Franciſcanorum. Ergò eſtis Franciſcani.

Occupationem meam de Symbolo Rom. religionis exagitare non audes, quia ſi exagitares, eſſes ineptus. Nemo enim nec noſtrûm, nec veſtrûm dubitat Papiſtam vel Romanæ fidei pronunciare eum, ex cuius vel cingulo vel collo, vel manu Roſarium pependerit.

Argumentum quoque princeps valdè leuiter ponderaſti. Nullam in eo nec principij, nec finis petitionem inuenio. Nam hoc ipſum iam obtinueram, in orationibus certo numero recitatis nullam eſſe ſuperſtitionis notam. Nunc autem nec quæritur, an pro mercanda gratia Deo certum numerum orationum perſoluere oporteat; nec quæritur, an ſit ſuperſtitioſum calculis Deo preces annumerare? Nemo enim Catholicorum docet, aut Deo tanquam mercatori annumerandas eſſe preces; aut pro gratia mercanda inſtitutum eſſe illum numerum; aut denique propriè perſoluendas eſſe preces, vt pro verbo emendi & vendendi vox (perſoluendi) accipiatur. Ito igitur ad nundinas Francofurtenſes, & alias merces quære quas nobis vendendas proponas.

Imo verò, vrges, iam in promptu ſunt in theſi ſequenti.

THESIS XIII.

SCribunt veteres hiſtorici, Palladius, Sozomenus, Caſsiodorus; celeberrimum Anachoretam Paulum de Libya 500. monachorum Patrem, ſolitum indies trecentas orationes Deo quaſi tributum perſoluere: &, ne numero delinqueret, lapillum ad ſingulas orationes in ſinum iactare. CLARAM quoque ſanctiſsimam fœminam orationes Dominicas congerie lapillorum Domino annumeraſſe, res ab ea geſtæ teſtantur. Breuiter, quàm vetus calculorum ſit vſus, ſaxa ſepulchrorum antiquiſsima loquuntur.

CALVINISTA.

Pag. 30. *PAulum antea Aegypto aduocaſti, nunc ex Libya vocas, tandem etiam ex Orco reuocabis, vt tertiò teſtem adhibere poßis. Deinde Paulus ille & Clara non Mariæ, ſed Deo annumerârunt preces. Et Sozomenus habet,* ex ſinu. *Nam antequàm oraret, in ſinum numerabat.* De Clara teſtantur res ab ea geſtæ, *hoc eſt, Legendæ quas ipſe Lazius Papiſta mendacij arguit in præfatione ad Abdiam Babylonium. Ergò calculorum vſus in precibus Roſarij non eſt ſuperſtitioſus. Rurſus eſt petitio principij. Nam vt de facto conſtet, de iure tamen quæritur. Ergò perge.* Calculorum vſus eſt vetus, vt ſaxa ſepulchrorum antiquiſsima loquuntur. *Mendacij vſus longe eſt vetuſtior, vt monumenta Moſis antiquißima ſimul & veracißima teſtantur.* Perge.

CATHOLICVS.

PAulum eremitam antea ex Aegypto aduocaui, quia Palladius ibi à me citatus eum facit Aegyptium; nunc autem voco ex Libya, quia Sozomenus hîc à me citatus eum facit Libycum vel Africanum. In Libya fuerit ſecundum carnem natus, in Aegypto ſecundum Spiritum renatus. Niſi malis idẽ eſſe Aegyptũ & Libyam. Aegyptios enim poſſe dici Libycos diſcere potes ex his Pompeiorum epitaphijs: Magne premis Libyam, fortes tua pignora nati Europam atque Aſiam nomina quanta iacent? Item. Membra pater Libyco poſuit malè tecta ſepulchro: Item. Diuerſis iuuenes Aſia atque Europa ſepulchris, Diſtinet infida Magne iaces Libya. Conſtat autem Pompeium ſepultum in Aegypto. Vide Ioſephum Scaligerum veſtrum in Catalectis. Si tertiò eum in teſtem adhibere voluero, vocabo eum de cœlo, vbi

illc eſt, non de Orco, vbi tu es, ſi non de facto, ſaltem de iure, ſi non in præſenti, ſaltem in futuro, ſubaudi, niſi præſentiam egeris, & Roſarium oraueris.

Paulus & S. Clara etiamſi Deo, non Deiparæ annumerauerint preces, tamen in annumerandis precibus vſi ſunt calculis, de quo erat quæſtio. Nam quærebatur, num in vſu calculorum eſſet ſuperſtitio. Et probaui quod non, AB EXEMPLIS VETERVM, quia ſanctiſſimi quique calculis vſi fuerunt.

Ais Sozomenum ſcribere Paulum illum *de ſinu* non in ſinum iactaſſe lapillos: quod ego verum eſſe non puto. Nam exemplum Pauli ex Sozomeno, ni fallor, deſcripſi. Conſulam iterum Sozom. Ecce tibi verba eius. *Paulus de Libya in Scethi non pauciores quingentis monachos habens, orabat ſolummodo, & veluti quoddam tributum habens impoſitum trecentas orationes Deo vnoquoque die reddebat: & ne numero fortè delinqueret, trecentos lapides ponebat, & ſingulis orationibus lapidem mittebat in ſinum.* Trip. l. 8. c. 1.

Hanc verſionem ſi fortè ſecutus tu non es, condonemus vtrinque erratum, tu meum, ego tuum. Nam vel meus, vel tuus interpres errauit. Vtut ſit, mihi ſatis eſt, quòd in eijciendis vel inijciendis in ſinum 300. calculis non errauerit Paulus.

De D. CLARA teſtantur res ab ea geſtæ, quas Pontifex Maximus Alexander Quartus, vt fidem obtinerent apud poſteros, deſcribi curauit, vt habentur in probatis Sanctorum hiſtorijs à Laurentio Surio accuratè digeſtis. In 4. Tom.

Ad legendas, quòd attinet, non arguit eas mendacij LAZIVS, ſed tantùm dicit, cùm primæ probatæque Sanctorum hiſtoriæ perijſſent, multa ijs adiecta fuiſſe, quæ ſanctos ipſos apud MALOS & HAERETICOS in contemptum adduxerint; quod nos non diffitemur; ſed condonanda erat hæc noxa ſuperiorum ſæculorum ſimplicitati, ac curandum, vt vel legendæ à mendis caſtigarentur, ſicut caſtigatus eſt Cicero & alij profani ſcriptores; vel certè probatiores hiſtoriæ illis ſubſtituerentur, quod à noſtris abundè factum eſt.

Sed vobis neque legendæ caſtigatæ, neque probatæ hiſtoriæ ad legitimam dogmatis Chriſtiani probationem ſufficiunt. Nam

(vt loquar de quæſtione præſenti) etſi de facto conſtet, hoc eſt,
Niceph.l. 11.c.36 etſi probati hiſtorici, Palladius, Sozomenus, Caſsiodorus, Nicephorus, & alij, ſcribant ſanctiſsimos homines, qui etiam miraculis claruerunt, & publico Eccleſiæ iudicio in Diuos ſunt relati, vſos fuiſſe calculis in precationibus; tamen vos primùm nunc proditis, & quæritis de iure, an licuerit vti calculis. Et poſtquàm probatum fuerit licuiſſe, iterum quæritis, an licuerit. Quid verò eſt petere principium, ſi hoc non eſt?

Quòd verò garris, mendacij vſum longè eſſe vetuſtiorem noſtris Roſarijs, mirum non eſt; quia mendacij auctor & parens eſt Diabolus, quo inter omnes creaturas nihil eſt vetuſtius. Et ideò pueruli noſtri rogati, cùr dùm ſe conſignant, tam magnam in aëre crucem deſcribant, cùm Maiores noſtri deſcripſerint paruas, reſpondent Diabolum iam tanto ſenio confectum eſſe, vt paruas ampliùs videre non poſsit. Pergo.

THESIS XIIII.

NOn alio igitur fine primùm vſurpati videntur calculi illi, quàm ab oratoribus olim loci & imagines ad retinendam verborum rerumque memoriam; quàm à mercatoribus nummi ærei ad annumerandas ingentes pecuniarum ſummas: quàm ab Eccleſia Catholica cruces imaginesque Chriſti & Sanctorum ad conſeruandam vitæ Chriſti, ſanctorumque recordationem.

CALVINISTA.

Pag. 31. *PRoſyllogyſmus XIII. Calculi ſunt inuenti, ne numeri precum obliuiſcamur.* Ergò non ſunt ſuperſtitioſi. *Ridetur chorda qui ſemper oberrat eâdem. Nihilne potes quàm principium petere? Nihil Ergò petas iterum.* Non ſunt alio fine inuenti, quàm à mercatoribus nummi ærei, *vt videlicet Deo quoq; & Mariæ ingentes precum ſummæ annumerari poſſint. Denuò propter craſſos Monachos, vt rectè percipiant hanc formam argumentandi.* Non alio fine vſurpati ſunt, quàm cruces, imaginesque S *nimirum vt eodem modo ſeruiant ad precum profuſarum recordationem.* Ergò non ſunt ſuperſtitioſi. *Sufficit Domine Magiſter. Nam ſi obeſi ventres nondum vident, quid petitio principij ſit, culpa non eſt tua, ſat multis exemplis declaraſti. Nunc aliud profer, ſi quid habes.*

CATHO-

CATHOLICVS.

ET obeſi & macilenti ventres vident, te, cùm reſpondere non poſsis, conuerſum eſſe ad vaniloquia; non vident autem quid petitio principij ſit, ſi tu non tertiò hîc principium petas. Semper enim eâdem chorda aberras, & petis probari, quod iamdudum eſt probatum. Quoniam autem tàm imperitus es, vt non videaris intelligere, quid ſit petere principium, aut tàm φιλάυτος, vt non videas manticæ quod in tergo eſt, non grauabor te, (ſum enim Magiſter artium) ex inſtitutionibus Dialecticis ſcholarũ noſtrarum docere. *Petere*, inquiunt, *principium, eſt concluſionem probandam ad probationem ſui accipere.* Verum ego concluſionem probandam ad probationem ſui non accepi. Ergò non petiui principium. Probatur Minor. Nam concluſio probanda erat hæc. *Vſum calculorum Roſarij non eſſe ſuperſtitioſum.* Probaui autem non eſſe, quia primùm ad alium finem inuenti non ſunt, quàm ad retinendum in memoria precationum numerum; At vti re aliqua ad retinendum numerum non eſt ſuperſtitioſum: Vſus igitur calculorum non eſt ſuperſtitioſus. Aſſumptionem huius ratiocinationis probaui tribus exemplis ſimilibus; quia nec vſus locorum apud oratores ad retinendam verborum rerumq; memoriam, nec nummorum æreorum apud mercatores, nec vſus imaginum ſacrarum vel profanarum ad retinendam memoriam rerum geſtarum, eſt ſuperſtitioſus. Quæ verò in hac argumentatione eſt petitio principij? nonné quod à me ad probandam concluſionem aſſumitur, non modò non idem eſt, ſed multò etiam notius concluſione? Profer ergò aliud, ſi quid habes, ſed ſine conuitio, ne plus dare videaris affectui, quàm veritati.

1. Elench. 4.

THESIS XV.

QVod autem poſtea in certum numerum ſint redacti ad cõmonefaciendum: quod Pontificis ſummi benedictio cum ampliſsimis indulgentijs acceſſerit: quòd nummis crucibusúe argenteis, æreis, ligneis ornentur, ea non ſuperſtitionem, vt quidam calumniantur, auxerunt, ſed religionem.

CALVINISTA.

Pag. 326 *VNde nobis iſta? nam ſupra cùm de ſtatu controuerſiæ ageretur, & cùm tu quæſtionem lacerares: quinque tantùm partes factæ ſunt: hæ quatuor, quas nunc addis, nunquàm apparuerunt.*

CATHOLICVS.

SVpra cùm de ſtatu controuerſiæ ageretur, dixi, quinque *eſſe in Roſario*, non autem dixi quinque eſſe partes Roſarij. Illa quinque autem, quia erant quaſi eſſentialia Roſario, in principio comparuerunt, hæc verò quatuor, quia erant accidentalia vel acceſſoria Roſario, apparent in fine. Accidentalia enim ſunt poſteriora eſſentialibus Atque hinc eſt, quòd omnes qui vtuntur Roſario, ſemper illa quinque habeant, non autem ſemper habeant reliqua tria in hac theſi nominata; nec enim omnes aut nummos Roſarijs appendunt, aut Romam proficiſcuntur, vt Pontificiam impetrent benedictionem. Dixi ſignanter TRIA, non quatuor, vt tu putas, quia primum punctum reuocari debet ad Numerum orationum Roſarij. Sed quia ipſe agnoſcis te λογομαχεῖν, Perge.

Sed lectori, inquis, parcamus, & de rebus ipſis, quàm fieri poterit, breuiſſimè differamus. Calculi, *inquis*, poſtea ſunt in certum numerum redacti ad commonefaciendum de vita Chriſti & Sanctorum. *Nempe tres ſunt vobis vſus Calculorum. Vnus in precibus numerandis: alter in Mericis Romanis à Catholicis Chriſtianis diſcernendis: tertius in commonefaciendo de vita Chriſti & Sanctorum. Ad hunc poſtremū vſum dicis calculos in certū numerum eſſe redactos.*

Non Lectori, ſed tibi tuæque famæ parcas, quia nihil præter nugas reſponſione indignas à te inpoſterum obtinebimus. De rebus ipſis promittis te breuiſsimè diſſerturum; ſi addidiſſes (& ineptiſsimè) dixiſſes veriſsimè. Sit triplex apud nos Calculorum vſus, & ſi velis etiam quadruplex. Sed primus ſit, vt Chriſtiani Catholici, quos veteres à principe Eccleſiarum vocârunt Romanos, à μερικοῖς id eſt, particularibus Geneuenſibus vel Vuitebergenſibus diſcernantur. Verè enim καθόλικος eſt vſus calculorum, quippe qui toto orbe Chriſtiano, vti & ſodalitas Beatiſs. Virg. Mariæ, in qua vſus ille maximè his annis proximis effloruit, eſt peruagatus.

Alter vſus eſt ad retinendum memoria orationum numerū, eumque numerum, qui ſuam quoq; piam & myſticam habeat ſignificationem,

nem.Itaq;tertius adiungitur vſus ad commonefaciendum, non de vita Chriſti & Sanctorum, quanquàm eò quoq; pertinere poteſt, ſed de obſeruatione præceptorũ Diuinorũ, de recordatione quinq; Chriſti vulnerum, de remiſsione peccatorum, de myſterio S.Trinitatis. Nam Numeri calculorum Roſarij de his præcipuè, vti ſuperiùs dictum eſt, nos commonefaciunt.

Contrarium, obgannis, *dicit Sozomenus eo ipſo in loco, quem tu antè citaſti. Teſtatur enim antiquũ illum eremitam, Paulũ de Aegypto (nam his laruis tu ex vno Paulo duos feciſti, quo plures tuæ ſuperſtitionis teſtes haberes) non aliam ob cauſam lapillos ad certũ numerũ, nempe ad trecentos redegiſſe, quàm vt, omnibus ad ſingulas orationes ſigillatim è ſinu iactis, ſciret, ſe debitum integrum Deo ſoluiſſe.* Pag. 33.

Si Lectori volebas parcere, & de rebus ipſis breuiſsimè diſſerere, cùr hic rurſum odioſè de duplici cognomine Pauli litigas? Et ſi hac theſi ſcripſi calculos *poſteà*, hoc eſt, poſt antiquiſsimorum illorum D. Antonij diſcipulorum tempora *in certum numerum*, quem iam habent Roſaria, *redactos ad commonefaciendum* quomodo contrarium eius dicit Sozomenus, qui non eſt locutus niſi de anquiſsimis eremitis? Videris opus habere bone vir, vt dicam breuiſsimè helleboro, vel certè calculis noſtris, vt memoria retineas, quæ hac theſi & præcedentibus à me ſcripta ſunt. Clarè enim dixi *primùm ab eremitis inuentos calculos ad numerum orationum retinendum.* Pergis deinceps.

Dominicanus etiam, qui primus Roſarium excogitauit circà annum Chriſti Pag. ead.
1200. *non ad commonefaciendum, ſed ad preces numerandas quinquaginta quinq; lapillos fabricauit, & in modum ſerti iunxit: ſic vt denis minoribus, quinq; grandiores interponerentur, vt eſt in ſpeculo Roſariorum. Non ergò propter myſticas ſignificationes, ſed ad rationes precum conficiendas calculi primùm ad certum numerum ſunt redacti. Significationes illæ poſtmodum, acceſſerunt: & ſic aucta fuit ſuperſtitio. Nam malum malo iunctum, maius malum facit.*

Quiſquis ille fuit Roſariorum auctor ſub annum Domini 1200. ſiue S. Dominicus, ſiue alius quiſpiam, certũ eſt non ad preces tantùm numerandas, ſed etiam ad commonefaciendũ de aliquo myſterio Roſario quinquaginta minores calculos, & quinq; maiores ab eo inſertos eſſe, quod conſiderem me probaturum etiam ex tuo ſpeculo, ſi eius mihi inſpiciendi poteſtas eſſet. Non ergò aucta fuit ſuperſtitio acceſſione myſticarum ſignificationnm. Nam bonum bono iunctum, maius bonum facit. Quod ſequenti quoq; exemplo declaramus.

THESIS XVI.

NAm ſicut Ioſue ſacri dux exercitus filijs Iſrael Iordanem ſicco veſtigio tranſeuntibus, 12. lapides grandes ex alueo in caſtra piè & religioſè deferri mandauit, vt nempe apud poſteros percontantes, *Quid tibi velint lapides iſti?* perpetua miraculoſi tranſitus exſtaret memoria: ſic Maiores noſtri piè & religioſè quinque grandiores calculos, Roſarijs inſeruerunt, vt hæreticis ea ridentibus, percontantibuſque, *Quid ſibi velint quinq; calculi iſti?* quid *Roſarium totum?* reſpondeatur eſſe, Symbola quinque vulnerum, quæ Chriſto pro noſtra ipſorumque ſalute ſunt inflicta. Roſarium verò eſſe compendium quoddam noui teſtamenti, doctrinæque Chriſtianæ.

CALVINISTA.

Pag. 34. 35.

GRatia ſit tibi, quod nobis Hæreticis etiam relinquis aliquid de fructu vulnerum (quæ Chriſto, *inquis*, pro noſtra ipſorumque ſalute ſunt inflicta) *Breuiter. Ioſua piè fecit, quod 12. lapides ex medio Iordanis exſiccati ſecum in caſtra tulit, ad perpetuam miraculi memoriam. Ergò & Maiores noſtri piè fecerunt, cùm quinq; calculos Roſarij grandiores deſtinârunt ſignificandis quinq; vulneribus Chriſti. Ecqua verò ſimilitudo eſt in his exemplis? Ioſua expreſſum mandatum Dei habuit. Maiores veſtri quodnám habuerunt? Ioſua ſuos lapides ex ipſa miraculi materia ſumpſit. Maiores veſtri vnde ſuos acceperunt? ex ſylua opinor, ex latomia, ex argenti fodina. Nam neq; ipſi vixerunt, cùm Chriſtus crucifigeretur: neq; ſi vixiſſent, perinde calculos ex vulneribus Chriſti legere potuiſſent, atq; Nicodemus ſanguinem chirotecis ſuis excepit, qui Rupellæ adhuc noſtra memoria viſus & adoratus fuit. Deniq; Ioſua 12. tantùm lapides vno caſtrorum loco collocauit. Maiores veſtri quinquagenos quinos in infinitum repetitos per totum orbem à ſuis baiulis circumgeſtari voluerunt: digni profectò, qui grandes illos lapides, de quibus noſter* IEHOSCHVA *in Matthæo loquitur, geſtaſſent: Et quod caput eſt: non ad nudam recordationem, ſed ad religioſam venerationem, & ad cultum Dei, conſecrârunt, cùm penes ſolum Deum ſit, quo modo coli velit.*

Deu. 12. Matth, 15.

CATHOLICVS.

NOn immeritò mihi gratias agis, quod *vobis hæreticis etiam reliquerim aliquid de fructu vulnerum Chriſti*, quia valdè eo indigetis,

tis, vt ne hæretici ſitis: nec deſpero te aliquando hæreſi renunciatu-rum, quia hæreticum te eſſe agnoſcis. *Agnitio morbi, eſt dimidiata ſalus.*

Quæris ecquæ ſimilitudo ſit in exemplo Ioſue. Breuiter reſpondeo, me in theſi ſimilitudinem planiſsimè indicaſſe, quam ſi tu non percepiſti, præter intellectum & memoriam, etiam viſum profectò amiſiſti. Similitudo eſt hæc. Sicut Ioſue piè & religiosè 12. grandiores lapides in caſtra deferri iuſsit, ad ſignificandum tranſitum per Iordanem 12. tribuum Iſrael: ſic maiores noſtri quinque grandiores calculos Roſarijs inſeruerunt ad ſignificandum quinque Chriſti vulnera. In quo exemplo quatuor ſunt ſimilia cum Roſarij calculis. 1. lapides. 2. lapides grandiores. 3. certus numerus lapidum. 4. certus numerus ad commonefaciendum de aliquo myſterio. Addam & quintum ac illud quidem in quo tu ponis caput myſterij, 12. lapidum Ioſue: nempe, numerum non ad nudam commonefactionem, ſed ad religioſam venerationem, & ad cultum Dei atque B. Virginis conſecratum. Orationes enim, quæ eſſentiales ſunt in Roſario, maximè ad Dei ſanctorumque cultum pertinent, cùm penes ſolum Deum non ſit, inſtituere ritus & ceremonias, quibus coli velit, ſed etiam penes Eccleſiam Dei. *Qui Eccleſiam non audit, ſit tibi &c. Qui vos audit, me audit. Quæcunq; dixerint facite. Obedite præpoſitis veſtris.* Matth. 18. Luc. 10. Hebr. 13.

Ecce habes quinque ſimilia in tam breui exemplo, & vt quinque non eſſent, tamen ſufficeret vnum alterumuè. Nec enim omnis ſimilitudo, vt vulgo dicitur, currit quatuor pedibus. Vnde B. Damaſcenus. *Non neceſſe* eſt inquit, *exempla prorſus inter ſe ſimilia eſſe, atq; eiuſmodi, vt nihil omninò deſideretur: quandoquidem in exemplis tùm ſimilitudinem, tùm diſsimilitudinem perſpicere opus eſt, ſiquidem exempla ſunt. Nam quod ex omni parte ſimile eſt,* IDEM *eſt, non exemplum.* Lib. 3. orthod. fid. cap. 26.

Quod igitur tu nobis tria vel quatuor ſuggeras diſsimilia, gratias habemus, quia ſic confirmas me verum & germanum produxiſſe exemplum. Ego verò non dedignabor, quandoquidem faciunt pro nobis, illa tua diſsimilia magis illuſtrare, vt rationes diſsimilitudinis Lectori magis conſtent.

Primùm ergò Ioſue *expreſſum Dei mandatum habuit de 12. lapidibus,* fateor, ſed ideò non potuit plures vel pauciores quam 12. in alueo Iordanis vel caſtris Iſraeliticis collocare. Maiores verò noſtri, quia

expreſſum mandatum nec Dei, nec Eccleſiæ habueurnt de quinquē calculis, pauciores vel plures in Roſario collocare poſſunt.

Deinde Ioſue *ſuos lapides ex ipſa miraculi materia ſumpſit.* Ita eſt. Maiores verò noſtri, quoniam neceſſe non habuerunt ex materia miraculi calculos precarios ſumere, ideò ex omni genere materiæ, quæ tornari poteſt in globulum, & perfoſſa inſeri in Roſarium, calculos conficiunt. Quare nec opus habuerunt, vt viuerent, cùm Chriſtus crucifigeretur; aut, ſi vixiſſent, vt calculos ex vulneribus Chriſti, vt ſanguinem Nicodemus chirothecis, exciperent, ſicut tu de rebus ſanctiſsimis nugaris.

Satis eſt, vt quinarius numerus calculorum officio ſuo fungatur in ſignificandis quinque vulneribus, quos Chriſtus poſt reſurrectionem incredulis oſtendit, & rurſum oſtendet in illa die, cùm videbunt Iudæi eum, quem confixerunt Sicut ſatis eſt ad exempli veritatem, vt ſerpens, quem Moſes exaltauit in deſerto, ſignificauerit Chriſtum crucifigendum Et vt petra, quam Moſes percuſsit, ſignificauerit latus, manus & pedes Chriſti, ex quibus ſanguis Chriſti effluxit, licet Chriſtus tùm non vixerit, cùm ſerpens exaltaretur, aut petra percuteretur.

Veniamus ad tertium tuum diſsimile. *Ioſue*, inquis, *duodecim tantùm lapides vno caſtrorum loco collocauit.* Verum eſt, ſed in lege veteri. At maiores noſtri in lege noua veri Ioſue plures lapides toto orbe geſtare & collocare potuerunt, quia verus Ioſua non habuit tantùm duodecim Apoſtolos, ſignificatos per duodecim tribus Iſraël, veurm etiam ſeptuaginta diſcipulos, in totum orbem Euangelij prædicandi gratia amandatos. Itaque quòd maiores noſtri vſum Roſariorum toti orbi communem fecerunt, hoc ipſo demonſtrârunt illũ eſſe vſum Chriſtianum Catholicum, & Apoſtolicum; vos verò, quia veſtram ſectam communem toti orbi facere non poteſtis, hoc ipſo luce meridiana clarius oſtenditis doctrinam veſtram non eſſe Catholicam & Apoſtolicam, ſed Mericam & hæreticam.

Cum qua doctrina conſentit illud, quod hîc de Maioribus tuis addis, dignos eos eſſe, qui mola aſinaria in collum eorum iniecta ſubmergantur in profundo maris, vt eſt Matth. 18. Sed tu profectò dignus es, qui à tuo IEHOSCHVA audias. *Neſcitis cuius ſpiritus ſitis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* Verum nondum quieſcis. Luc. 9.

Quanquàm

Quanquàm, inquis, *de nuda etiam recordatione meminiſſe debebant id, quod Chriſtus ad Iudæos dixit; Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt, quæ de me teſtantur. Et quod Paulus ad Galatas ſcripſit Chriſtum prædicatione Euangelij hominibus ob oculos depingi, & velut inter ipſos crucifigi, vt eius vulnera intueri poſſint, quoties lubet, & alijs præſertim tam ineptis adminiculis memoriæ non habeant opus.* Pag. 38

Iam produximus exemplum ex ſcripturis de duodecim lapidibus Ioſue. quid ergò vrges, vt meminerimus quid Chriſtus dixerit de ſcrutandis ſcripturis? Teſtimonio Pauli cauſam tuam magis ſtrangulas, quàm iuuas. Verba eius ſunt. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos* IESVS CHRISTVS *depictus eſt* (Græca enim vox προεγράφη propriè id ſignificat) *in vobis crucifixus?* Quem locum noſtri pro imaginibus Chriſti crucifixi veſtris opponere ſolent. Ita enim eum expoſuit B. Athanaſius in ſerm. de ſanctis Patriarchis & Prophetis, teſte Franciſco Turriano in lib. 4. de dogm. Charact. Cap. 3.

Non negamus legendas & ſcrutandas eſſe ſcripturas, ſed ab eruditis, qui legere, intelligere, & ſcrutari poſſint; ab ijs, qui ſcripturas habent; ab ijs, quibus per otia & negotia vacat. Cùm verò infinitus ſit numerus hominum, qui his præſidijs careant, num permittere debemus ex hominum mentibus deleri memoriam Dominicæ paſsionis?

Ergò vos, inquis, *eò crebriùs ſcripturas populo prælegatis, & qui ipſi legere non poſſunt, eò frequentiùs ac diligentius auſcultent prælectiones veſtras. Quanquàm multi legere poſſunt, quibus per vos non licet.* Pag. 38.

Prælegamus populo crebriùs ſcripturas, & quidem quotidie, vt vos alicubi facitis, quot habebimus auditores? Tot, quot vos. Vnam & dimidiatam vetulam, & tertium ſeniculum decrepitum poſt ianuam templi oſcitantem, vti ipſe obſeruaui in quodam oppido veſtro. Verùm laus Deo hoc præſidio, cuius frequentatio nimia facilè nauſeam parit, nos non indigemus. Tot enim apud nos ſunt imagines, roſaria, aliaque monumenta pietatis, vt crebra illa & continenti prædicatione Verbi DEI ad conſeruandam paſsionis Domini recordationem non magnoperè opus habeamus. Omnibus fidelibus in Catholica Eccleſia, etiam plebeis & idiotis poteſtas legendi & intelligendi myſteria paſsionis conceſſa eſt in picturis &

Lib. 9. epiſt. ſculpturis, quod per vos non licet. Vnde B. Greg. epiſt. 9. ad Serenum Maſſil. Epiſc. qui imagines Sanctorum, ne adorarentur, vt nunc quoque vos facitis, confregerat; *Dic frater*, inquit, *à quo factum eſſe ſacerdote aliquando auditum eſt, quod tu feciſti; aliud enim eſt picturam adorare, aliud per pictura hiſtoriam, quid adorandum ſit diſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc & idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa ignorantes vident, quid ſequi debeant, in ipſa legunt, qui literas neſciunt.*

Idiotis igitur ſaltem concede Roſarium, vt in illo, cùm abſunt imagines viuæ, aſpectu tactuque calculorum certo ordine & numero ad ſignificandum digeſtorum renouent qualemcunque memoriam doctrinæ Chriſtianæ; cùm eius myſteria poſſint eſſe loco cuiuſdam compendij noui teſtamenti, vt dixi.

THESIS XVII.

NAm qui multiplicem Roſarij vſum nôrunt, ſciunt eundem calculorum numerum ſeruire ad renouandam memoriam omnium myſteriorum vitæ Chriſti, & B. Virginis, capitumque præcipuorum fidei Catholicæ, vt SS. Trinitatis, Incarnationis, Paſſionisque Chriſti, cultus Dei & Sanctorum, præceptorum Decalogi, iuſtificationis & vitæ æternæ. Quod ſanè compendium hoc vtilius eſt in vulgus, quò latiùs eius vſus patet, quàm librorum. Legi enim poteſt ab literarũ imperitis, à cæcis, in equis & curribus, in tenebris denſiſſimis.

CALVINISTA.

Pag. 36. *VObis Doctoribus eſt compendium, vt munere docendi lapidibus commiſſo, reuerenda veſtra dignitates in pace requieſcant. Plebi verò non eſt compendium doctrina, ſed diſpendium ſalutis. Nam quid queſo diſcunt inde?* Capita, *inquis*, fidei Catholicæ. *Veteres ex pede anſerino Satanam agnoſcebant, ſi quando ſe in Monachum transformaſſet. Tu pedes humanos habes, & caput humanum, pectus verò qualenam occultas.*

Falleris. Nam Doctoribus Compendium eſt ſumma Theologica D. THOMAE Aquinatis. Magiſtris & Baccalaureis compendium eſt Caniſij Catechiſmus maior. Cæteris indoctioribus compendium eſt vel Paruus Catechiſmus, vel Roſarium. Itaq; licet lapides Roſarij munere ſuo docendi idiotas ſemper fungantur, ſicut lapides duodecim in alueo Iordanis, & picturæ in templis, non tamen ideò aut idio-

tæ,aut reuerendæ noſtræ dignitates à docendi audiendíue munere feriantur.Si autem lapides ſuo docendi munere,pro talento eis credito, funguntur,certè Roſarium vt doctrinæ,ita quoque ſalutis rectè compendium dicitur.

In quo compendio cùm nihil inuenires,quòd iure reprehendere poſſes, redis ad Petram ſcandali tui Phariſaici, ad miſerum perfugium tuum de veneratione Sanctorum. Quid enim primò, quid vltimò obijcitis aliud Papiſtis, quàm fœdam in cultu Sanctorum idolomaniam? Ex hoc argumento, vti veteres ex pede anſerino Satanam, ita agnoſcimus imperitum Caluiniſtam. Sed deducas paululum cappam monachi tui: (transformaſti enim theſin meam in monachum)

Doctrina, inquis, *de cultu Sanctorum eſt etiam caput fidei Catholicæ, & pars compendij noui teſtamenti. En pectus diabolicum. Quid eſt in nouo teſtamento de cultu Sanctorum, imò quid in tota ſcriptura Canonica? Mandatum nullum, exemplum nullum, prohibitiones ſexcentæ, commnationes infinitæ. Sed cappa rurſus coeat, & Monachus non appareat monſtroſus.* Pag. 37.

Quoniam in theſi mea nulla apparet ſimilitudo monachi cappati, & omnia clarè in ea deſcripta ſunt, vt diductione cappæ opus non ſit, ad introſpiciendum; planè exiſtimo te eſſe monachum illum, in quem Sathan ſe transformauerit, quiſque non ex pede anſerino, ſed ex pectore vel corde diabolico agnoſci debeas. *De corde enim*, inquit Matth.15. Chriſtus, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, falſa teſtimonia*, BLASPHEMIAE, in Deum & Sanctos, qualem tu hîc valdè luculentam euomuiſti. Sed, *nihil eſt in tota Scriptura Canonica de cultu Sanctorum, nullum mandatum*? Ideóne venerationem beatiſsimorum angelorum, aliorumq́; ſanctorum cum Chriſto regnantium tu comparare debuiſti pectori diabolico? Quo loco apud te eſt Eccleſia *columna & firmamentum veritatis?* quo loco Traditiones Apoſtolicæ non ſcriptæ, quas ſcripturarum commendat autoritas? 1. Tim 3. 2. Theſſ. 2. Si aliquo; certè dicere non potes nihil prorſus, ne quidem generatim & tacitè de cultu ſanctorum eſſe in ſcripturis. *Scripturarum enim*, inquit B. Auguſtinus, *à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat autoritas; vt quoniam ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit obſcuritate quaeſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.* Iam Lib.1. con. Creſcon. Gram. c. 33.

ſubſume Domine Logice. At *vniuerſa*,ante ortum Lutherum & Zuinglium, *Eccleſiæ placuit* doctrina de cultu Sanctorum, Ergò.

Gene. 18. 19. Exod. 3. Ioſue. 5. 3. Reg. 18. 4. Reg. 2. Dan. 2. 1. Reg. 28. Si autem oſtendero quædam expreſsè eſſe in ſcripturis de veneratione Sanctorum,quomodo tuebere tuum pectus diabolicum. Primò enim ſcriptura docet angelos adoratos ab hominibus, vt ab Abraham, Moſe, Ioſue. Deinde docet & homines adoratos propter Deum non ciuili, ſed religioſo cultu. Nam Abdias Heliam,filij Prophetarum Helizæum,Nabuchodonozor Danielē adorauit.Saul quoque animam Samuelis iam mortui adorauit, quem nec Samuel nec

Roman. 2. ſcriptura reprehendit. Et generalis ſententia eſt Apoſtoli. *Gloria & honor omni operanti bonum*. At ſancti omnes operati ſunt bonum.Heb.11. ergò gloria & honore digni ſunt.

Quod mandatum non exſtet de Colendis ſanctis in ſcripturis, nihil moramur: nam cultus ſpontaneùs & voluntarius quoque Deo & ſanctis, teſte ſcriptura, eſt gratiſsimus. Seruile nimis eſt ingenium veſtrum, qui non priùs aliquid boni vultis facere, quàm vobis à Deo ipſo mandetur, vt poſsitis dicere cùm Apoſtolo. *Væ mihi ſi non Euange-*

1. Cor. 9. *lizauero; neceſsitas enim mihi incumbit*. Libertas Euangelica, quam profitemini longè aliud poſtulat, ſcilicet, vt liberi ſitis ab omnibus mandatis, quæ nec Patres veſtri, nec vos portare potuiſtis: Liberè ergò & voluntariè cum regio Propheta ſacrificate Deo veſtro, ſanctis quoq; ſuum honorem non detrahite. Habetis enim exempla ſcripturarum, & totius antiquititatis, prohibitiones & comminationes nullas. Cappa ergò tua rurſus coëat, ne monſtroſitas tua appareat. Ais deinde.

Pag. 37. 38. *Quid illa vera pietatis capita, de S S. Trinitate, de incarnatione & paßione Chriſti, de cultu Dei, de iuſtificatione & vita æterna, quomodo ex lapillis intelligentur? Declaratione ſcilicet erit opus. Atque declaratio neceſſariò longior erit, quàm ſeptem Symbola Apoſtolica, & ſepties ſeptem Decalogi. Cùr ergò hæc compendia à Spiritu ſancto facta non retinetis?* Quia videlicet ea non à quouis legi poſſunt: hoc verò noſtrum etiam à literarum imperitis, à cæcis, in equis & curribus, in tenebris denſiſsimis legi poteſt. *Etiámne à martyribus, qui manus habent poſt terga reuinctas? O inſanos lapillilectores.*

Act. 8. Cùm Philippus Apoſtolus, vt eſt in Actis Apoſt. ab Eunucho Reginæ Aethiopum Iſaiam Prophetam legente quæreret, *Putaſné intelligis quæ legis?* Reſpondit. *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi*, Sic meritò à te poſſum hic quærere. Putaſné intelligis, quæ in Roſarij

rij

rij myſterijs reprehendis? Tu enim reſpondes. Quomodo poſſum, ſi non aliquis declarauerit mihi? Si verò non intelligis, cùr tam mordaciter ea reprehendis? cùr non humiliter petis tibi ea declarari? cùr non expectas patienter declarationem. ſed ſtatim neſcio quid murmuras de ſeptem Symbolis & ſepties ſeptem Decalogis. ſcilicet odoratus es, me margaritas non ſparſurum ante porcos.

Duo illa compendia tua, Symboli videlicet & Decalogi, non abiecimus, etiamſi Roſarium amplectamur. Hæc enim oportet facere, & illa non omittere. Orationes Roſarij ſæpiùs iteramus, vt, quod monuit & conſuluit Chriſtus, quadantenus in oratione perſeueremus, & ſine intermiſsione precemur. Cum ergò Symbolum ſit proteſtatio fidei, Decalogus verò mandatum Dei, neutrum verò propriè oratio, mirum non eſt, quòd non ſepties vel ſeptuagies ſepties à nobis repetantur.

Interim Roſarium hoc manet vtilius, vt dixi in theſi, in vulgus, quò latius eius vſus patet, quàm librorum. Legi enim poteſt, adde tu à Martyribus, qui habent manus poſt terga reuinctas. O ſanos Roſarium oratores. O inſanos Roſariorum calumniatores. Etiamſi enim Symbolum Apoſtolicum, quod continet ſummam doctrinæ fidei, & Decalogum, qui continet ſummam doctrinæ Charitatis, poſsimus quouis tempore & loco, ſine oculis, ſine manibus, ſola mente legere atque relegere, vt tu hîc ratiocinaris, non tamen inde ſequitur abijciendum eſſe vſum Roſarij; hoc enim non tam inuentum eſt ad renouandam Decalogi & Symboli Apoſtolici, aliorumque capitum doctrinæ Chriſtianæ memoriam, quàm ad Deum Deiparamque crebris ardentibuſque orationibus nobis concilliandam. Quæ orationes hoc Deo Deiparæque gratiores ſunt, quò maiore ſtudio interno & externo, mente & corpore, manibus & pedibus, digitis & calculis ad proteſtandam fidem Catholicam Romanam, declarandumque amorem in Deum Deique matrem peraguntur.

Non eſt igitur, vt tuis te verbis reuerberem, quòd Compendia tua noſtro Compendio opponas; non eſt quod de commoditate eius dicas, agnoſce ignorantiam tuam, iniuriam Spiritui ſancto & Eccleſiæ factam deprecare, blaſphemiam intermitte, & tandem ſputare ceſſa. Nos verò non veremur defendere quod ſemel diximus.

THE-

THESIS XVIII.

BEnedictio verò Pontificis calculos alioquin profanos ſolemnibus precationis verbis in pium & ſalutarem vſum fidelium deſtinat: ſicut ritu Eccleſiæ peruetuſto, aqua, ſal, calices, cerei, herbæ, templa ipſa benedictione ſacerdotis ad ſacrum vſum deſtinantur. *Sanctificatur enim*, inquit Apoſtolus, *omnis*
1. Tim. 4. *creatura per Verbum Dei & orationem.*

CALVINISTA.

Pag. 38. 39. *SVmmi Pontificis benedictionem dicis non auxiſſe ſuperſtitionem. Defende tu prius, quod* I P S A *non ſit ſuperſtitioſa. Quid effecerit, poſteà per ſe patebit. Non eſt, inquis, quia calculos in pium vſum fidelium deſtinat. Quomodo pius vſus eſſe poteſt is, qui pugnat cum Verbo Dei, & in contumeliam Chriſti ac Spiritus Sancti vergit? Aut efficietne Pontifex ſuis precibus, vt Deus ſibi ipſi contradicat, vt hodie ſacrum cenſeat, quod olim deteſtabatur?*

CATHOLICVS.

QVid eſt ſine fine nugari, ſi hoc non eſt? Miror typographum inuentum, qui has nugas auſus fuerit in lucem proferre. Pænitet me hactenus reſpondiſſe, pudet & piget deinceps reſpondere ijs, quos puduit nomen ſuum ſcribendo vel imprimendo prodere. Sed tamen quia debitores facti ſumus non modo ſapientibus, qui has nugas contemnunt, verùm etiam inſipientibus, qui adorant & exoſculantur, (vt habeant quod ſuauiter narrent in circulis & compitis, in nauibus & curribus) non dedignabor porrò ad cætera reſpondere.

Clamas pium vſum, ad quem Roſaria benedictionis Pontificiæ beneficio deſtinantur pugnare cùm Verbo Dei. Dicis tantùm & non probas: ego verò probaui conſentire cùm Verbo Dei ex Apoſtoli teſtimonio. Clamas Pontificem efficere, vt Deus probet, quod olim ſit deteſtatus & ſibi contradicat: ſed non probas. An putas te eſſe Pytagoram, cui nos Magiſtri artium dicamus, ἀυτὸς ἔφα. Perge ergò.

N. C. 147 e. *Et quis, rogas, fuit iſte Pontifex, qui à Deo petijt vt ſuperſtitio fieret pietas?*
Bapt. Mant. Platina. Bapt. Fulgo. VVeſſelus Gron. & alij. S I X T V S I I I I. *ſcortator, cynædus, luxurioſus, fur, iniuſtus, auarus, tyrannus, leno, lupanarium extructor, meretricij quæſtus autor.*

Breui-

Breuiter reſpondeo, mentiris. Abſit vt talis aliquis Pontifex fuerit, qui à Deo petierit, vt ſuperſtitio fieret pietas. Abſit, vt doctiſſimum, celebratiſſimumque Chriſti Vicarium credamus talem fuiſſe, qualem tu hîc nobis turpiſsimè deſcribis. Cùr locum Mantuani vel Fulgoſi, non adſcripſiſti, ſi volebas fidem tuæ hiſtoriæ haberi? De Weſſelo Gronino Caluiniſta vel Lutherano alijſque ſimilibus (qui inſtar Scarabeorum nulla re magis, quàm Pontificum Romanorum ſtercoribus delectantur) nihil moramur. Platinam nihil potuiſſe ſcribere de Xiſto, manifeſtum eſt, quia in Paulo II. Xiſti anteceſſore hiſtoriam Pontificum terminauit, eamque Xiſto IIII. dedicauit.

Baptiſta Fulgoſus in libro tertio Dictorum factorumque memorabilium cap. 4. & lib. 8. cap. 13. ſcribit hunc Sixtum propter ingentem virtutis doctrinæque opinionem ad Apoſtolatus apicem per temporis interualla aſcendiſſe, MAGNAQVE laude ac fama claues tenuiſſe. Eandemque doctrinæ & virtutis commendationem habet apud omnes probatos eius ſeculi ſcriptores, vt apud Raphaelem Volaterranum libro 22. Vrbanor. commentat. Albertum Krantzium 12. libro Metropolis. M. Anton. Sabel. Ennead 10. l. 8. Iacobũ Philippũ Bergomatem in Chronologia. Ioan. Trithem. in libr. de viris illuſtribus. Nauclerum libro 3. Chronol. Generat. 50. Append. Platinæ.

Tu facis Xiſtum *Scortatorē, Cynædum, Luxurioſum, Lenonem*: illi faciunt integrum vitæ, continentem, virum optimum, ad vitia teſtudineum, ad virtutes complectendas equis celeriorem. Tu facis eum *furem, auarum, meretricij quæſtus auctorem*: illi faciunt omnium liberaliſsimum: nihil cuiquam negantem, in pauperes & religioſos munificentiſsimum, qui Principes viros nobileſque patria extorres incredibili pietate, magnis ſumptibus, iuuerit. Tu eum appellas *iniuſtum & tyrannum*, illi ad ius cuique reddendum vigilantiſsimum, in delinquentes clementem; in omnes manſuetum, qui omnes Principes Chriſtianos toto Pontificatus tempore obſequentiſsimos habuerit. Tu denique eum facis *lupanarium extructorem*: illi templorum, Xenodochiorumque aliorumque operum publicorum reſtitutorem, conditorem vrbis nouæ, alterum Romulum, quod Romam ex lutea lateritiam, ſicut olim Auguſtus ex lateritia marmoream, effecerit.

Fabuloſa ergò, falſa, ementita, & à Patre mendacij potiùs, quàm homine profecta ſunt, quæ in optimum Pontificem effutiuiſti, nec

multo minus quæ de Alano viro religioſiſsimo caſtiſsimoque hic ſubiungis.

Pag. 39. *Cuius inſtinctu,* inquis, *petijt Sixtus à Deo, vt ſuperſtitio fieret pietas? inſtinctu Alani Monachi Dominicani, hominis impuri: qui B. Virginem Mariam in ſua cellula ſponſæ loco habuit, eiuſq; papillas non minùs, quàm Chriſtus infans ſuxit atque contrectauit: vt in principio libri, qui ſuper hoc negotio tunc eſt editus, narratur. Scilicet, hi tantam rem à Deo, & tam magnam impetrarent.*

Garris, nugaris, ſomnia tua narras. Nam Ioannes Trithemius in libro de Illuſtribus in Eccleſia viris, hoc habet de ALANO Elogium. Alanus de Rupe, natione Teutonicus ordinis Prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis eruditus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentiſsimæ opinionis, vita & conuerſatione Deo deuotus, B. Mariæ ſemper Virginis amator præcipuus, eiuſque Roſarij & famulatus promotor venerandus, à qua etiam ſingulari dono ſupernæ conſolationis aliquoties meruit recreari, & iam in æterna fælicitate refoueri. Moritur anno Domini. 1474.

Non aliter, *inquis*, calculos conſecrari à Pontifice, quàm ſalem, aquam, &c. *Credo, ſed quis iuſsit Papam ſal, aquam, herbas ad ſacros vſus, hoc eſt, vt nos interpretamur,* ad ſanandas animas, & corpora fidelium, ad delendum delicta, ad fugandos dæmones, *deſtinare? Aut potuitne Papa*
1. Tim. 4. *vim illam rebus illis inſtillare? Ita, inquis, Dicit enim Paulus*, omnis creatura ſanctificatur per verbum Dei & preces. *Per verbum Dei dicit Paulus, non per verbum Papæ, & per preces fidelium non idololatrarum, ad vſum deniq; diuinitùs ordinatum, non ad eum, qui diuino ordini repugnat. Roga Deum centies millies, recitato prius Euangelio Ioannis, vt toga tua vim auertendi globos tormentorum indat, poſteà libris domi relictis abi militatum, & experieris quantum profeceris rogando: experieris inquam, quòd Deus non inſontem habeat eum, qui nomen ipſius temerè vſurpârit. Quemadmodum non Sixtum quartum habuit inſontem. Nam et Romæ in tumultu quodam crebris lapidibus ad necem ferè petitus eſt hic lapillorum conſecrator, & in inferno diuinarum vltionum grandine perpetuo petetur.*

Is iuſsit Papæ benedicere, ſalem, aquam, cereos: qui Papam fecit Papam. Papæ enim, omniumque Pontificum & Sacerdotum munus eſt benedicere. Vnde Melchiſedech benedixit Patriarchæ Abra-
Hebr. 7. ham, quia erat Sacerdos Dei ſummi. Quod autem ſalem, aquam, aliaſque creaturas benedicere poſsit, didicimus ex allata Apoſtoli ſententia *Omnis creatura* &c. Benedicit autem creaturas omnes non per

verbum

verbum ſuum. vt tu calumniaris, ſed per verbum Dei, & orationem ſuam, idque ad vſum diuinitùs ordinatum, non ad eum, qui diuino ordini repugnat: Nam ſicut benedicit per verbum Dei, elementa ſacramentorum, aquam, panem, vinũ, ad remiſsionem peccatorum, gratiam & iuſtitiam à Deo obtinendam, ſic per orationes Eccleſiæ benedicit alias creaturas ad pellendos dæmones, ad ſanandos morbos corporis, ad expianda peccata venialia. Inter vtrumque autem genus benedictionis hoc intereſt quòd illud Prius pertinens ad Sacramenta, infallibilem habeat effectum. Nam ſacramenta vim ſuam habent ex promiſsione diuina, quæ fallere non poteſt. Poſterius verò pertinens ad Ceremonias, non habeat infallibilem ſemper effectum, tùm quia nititur tantùm operi, vt ſchola loquitur, operantis, vel deuotioni benedicentis: tùm quia non expedit ſemper, vt vel à morbis corporalibus, vel à dæmonum vexatione liberemur. Hac doctrina inſtructi, non ſola benedictione freti, militatum abimus, ſed armis quoque corporalibus, gladijs, haſtis, bombardis rem agimus, ne Zuinglij Patriarchæ veſtri temeritatem imitari videamur, qui ſuis Tigurinis quidem perſuaſerat, vt vulgo fertur, ſe Verbo Dei fretum manica omnes Anno 15..
globos Quinquepagicorum excepturum; ſed ipſe nihil proficiens primus inter ſuos occubuit. Certè ſi hactenus non ſolis armis, equis, numero militum, ſed benedictione quoque ſacerdotum, orationibuſq; Eccleſiæ freti ad gerendum pro Euangelio bellum in exteras regiones profecti eſſetis, longè fælicius pugnauiſſetis.

Quod Xiſtus IIII. vt habet Volaterranus, orto tumultu in maximo populi concurſu ſaxis, dùm à Lecticarijs ad ædem Lateranenſem deferretur, à maleuolis quibuſdam appetitus fuerit, non probat eum Malum fuiſſe Pontificem, ſed non omnibus gratum. Alioquin peſsimus fuiſſet B. Stephanus protomartyr, qui ſaxis non modò appetitus, verumetiam enectus fuit. Addis deinde.

Ac profectò miror, quòd non pudeat vos locum illum Pauli huc citare, qui, ſi integer ſpectetur. ampliſsimus eſt apoſtaſiæ veſtræ teſtis. Spiritus, *inquit Paulus*, disertè dicit, fore vt poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à Pag. 41.
fide, ſpiritibus deceptoribus attendẽtes ac doctrinis Dæmoniorum, per hypocryſin falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt: prohibentiũ contrahere matrimoniũ, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad participandũ cum gratiarum actione fidelibus,

 & ijs

& ijs,qui cognouerunt veritatem. Nam quicquid creauit Deus bonum eſt: nec quicquam reijciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per Verbum Dei & preces, *hoc eſt, ſanctè vſurpatur, nec quenquam polluit, ſi iuxta verbum Dei, in agnitione & celebratione eius, qui dedit, ſumatur. En ſpeculum ſanctitatis veſtræ.*

Qui prohibet coniugium & cibos homini à Deo datos, eſt Spiritus deceptor, eſt Dæmonium, eſt hypocrita falſiloquus, & conſcientiam habet cauteriatam.

Papa hoc facit. Ergò. cætera noſti.

Et nos à Dæmonio diſceremus, quomodo Deus ſit colendus, quibus & quot precibus ſit inuocandus: abſit vt hoc vnquàm faciamus.

Hieron. l. 2. in Iouin. Aug. l. 30 con. Fauſt. cap. 5. 6.

Ego verò oppidò miror, quòd non pudeat te hunc locum Pauli nobis obiectare. Cùm enim olim Iouinianus Hieronymo, Fauſtus Manichæus Auguſtino eundem obiecerit, prorſus declaras te hæreticorum eſſe ſectatorem, non autem Catholicorum; Qui huic calumniæ reſpondent, orationem Apoſtoli ferri tantùm in eos, qui vetituri erant nuptias, & quoſdam cibos tanquàm malos & immundos, vti fuerunt Tatiani, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi. Sic enim hunc locum expoſuerunt omnes Græci atque Latini, conuenienter ſanè verbis Apoſtoli & manifeſtæ rationi. Verbis quidem Apoſtoli, quia ad redarguendum hunc errorem ait, *omnem creaturam Dei eſſe bonam, nec quidquam reijciendum eſſe, quod cum gratiarum actione ſumatur.* Docturi ergò erant hæretici illi nuptias & cibos quoſdam naturà eſſe malos, & propter immunditiam reijciendos. Rationi verò. Nam ſi ideò Catholici rectè dicerentur prohibere nuptias, quia monachis virginibuſque Deo ſacris aditum negant ad illas, neceſſe eſſet dicere & Zuinglianos prohibere nuptias, quia vtique prohibent pueris, prohibent amentibus, prohibent in certis conſanguinitatis gradibus, prohibent omnibus, ijs qui conſenſum parentum non obtinuerunt.

THESIS XIX.

INdulgentias benedictioni coniũctas fructum afferre maximum certum eſt: his enim allecta plebs fidelis, numero maiore, ſtudio ardentiore, ad orandum Deum concurrit, pro rebus maximis, pro Eccleſiæ Catholicæ incremento, pro concordia Chriſtianorum Principum, pro exſtirpatione hæreſum. Horum enim capitum ferè indulgentiarum formulæ meminerunt.

CAL-

CALVINISTA

Nos verò nil curamus indulgentias iſtas, hoc eſt, aurum ex fimo coctum. Et ſcimus alienum eſſe à Vicario Chriſti impœnitentibus peccata remittere: alienius remiſsionem peccatorum vendere, alieniſsimum peccandi licentiam Chriſtianis dare & impunitatem polliceri, & hæc omnia propter merita non ſolum Chriſti, ſed etiam ſanctorum, quibus ipſi ſcilicet, abundârint, & quæ in theſauro Eccleſiæ aſſeruentur, vt Pontifex diſtribuat egenis, Pag. 42.

CATHOLICVS.

Vos nihil curare Indulgentias iſtas mirum non eſt, quia nec benedictiones, nec Roſaria, nec Papam, nec Eccleſiam, nec Sacramenta ſeptem curatis. Nos verò maximè curamus & indulgentias, & Roſaria, & benedictiones ſacras, & Eccleſiam Romanam, & Vicarium Chriſti, & poteſtatem maximam ſoluendi & ligandi in terra & in cœlo, quam à Chriſto accepit; quia ſi iſta non curaremus, non curaremus quoque Verbum Dei, quod eſt *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Pſal. 11.

Vos ſcitis alienum eſſe à Vicario Chriſti impœnitentibus peccata remittere. Et nos ſcimus alienum eſſe à Chriſtianæ Theologiæ ſtudioſo manifeſtæ parcere veritati. Quis enim Catholicorum vnquàm ſcripſit vel dixit, Papam impœnitentibus peccata remittere?

Vos ſcitis alienius eſſe, Vicarium Chriſti remiſsionem peccatorum vendere. Et nos ſcimus alienius eſſe, Chriſtianæ Theologiæ ſtudioſum bis non ore tantùm, ſed & calamo, non priuatim tantùm, ſed & publicè mentiri.

Vos ſcitis alieniſsimum eſſe, precandi licentiam Chriſtianis dare, & impunitatem polliceri propter merita Chriſti & Sanctorum. Et nos ſcimus alieniſsimum eſſe, per ſummam impudentiam, non de homine priuato, ſed de ſummo Eccleſiæ Magiſtratu, de Chriſti in terris Vicario, ſemel, iterum, tertiò, palam quæ ſunt falſiſsima, effutire.

Cognoſcas primùm ex noſtrorum libris doctrinam noſtram. Intelligas ex Verbo Dei, eiuſque interpretibus legitimis quid ſit Papa, quæ & quanta eius poteſtas. Scias te, cùm debueris eſſe Magiſter *propter tempus, rurſum indigere, vt à nobis doceaꝛis, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei, & factum quaſi paruulum, qui lacte opus habeat, non ſolido cibo.* Ignoras Hebr 5.

ras enim, quid nomine Indulgentiæ, quid remiſsionis peccatorum, quid numeri annorum, quid theſauri Eccleſiæ intelligamus. Quæ vbi didiceris, & à mendacijs abſtinueris, tunc veni, & nobiſcum ſputa vel diſputa. Nam clamoribus vel exclamationibus Rhetoricis,
Pag. 43. quales hic adhibes, (*O miſeram plebem, quæ hos fumos captat, ô lamentabilem concordiam, ô felices hæreſes, quas Satan exſtirpare cupit,*) eludis quidem Indulgentias, ſed non elidis, reſpuis, ſed non deſtruis, exagitas, ſed non labefactas.

THESIS XX.

IMagines verò aureæ, argenteæ, ligneæ Roſarijs appenſæ, nec myſticum ſignificatum, nec vſum habent alium, quàm imagines in templis, vt videlicet memoriam nobis renouent rerum à Chriſto Sanctiſque geſtarum, & vt in vel coram illis prototypum veneremur & inuocemus.

CALVINISTA.

Pag. 43. Ierem. 10. C. Eliber. c. 36.

LIgnum eſt eruditio vanitatis, inquit Ieremias. Et Concilio Elibertino placuit, picturas in Eccleſijs eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Deinde Deus non in imaginibus, ſed in cœlis vult inuocari, vult nos ſurſum corda tollere, & expreſſè vetat, ne quis lapidem pictum ponat in terra ſancta, vt coram eo ſe incuruet. Ac in Decalogo Deos alienos vocat omnes imagines, quæ ad cultum proſtituuntur, ſiue eorum, quæ ſunt in cœlo, vbi ipſe etiam eſt, & Chriſtus à dextris eius; ſiue eorum, quæ ſunt in terra, ſiue eorum quæ ſunt ſubter terram. Sancti verò, neq; coram imaginibus, neq; alibi ſunt inuocandi, vt ſuprà fuit dictum. Eſt igitur vterq; vſus imaginum, & in templis, & in Roſarijs ſuperſtitioſus.

CATHOLICVS.

IEremiam Prophetam loqui de ſimulacris ligneis falſorum Deorum, qui habebantur pro dijs, & non erant, manifeſtum eſt. Nam ſtatim per antitheſin ſubijcit. *Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus viuens*, quaſi dicat, ligna illa non eſſe Deos

veros

veros & viuos. Et infrà. *Confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniam falſum eſt, quod conflauit, & non eſt Spiritus in eis; vana ſunt, & opus riſu dignum.* *Lignum* ergo in idolis gentilium *eruditio erat vanitatis*, quia ſimulacra lignea repræſentando & ſignificando docebant rem vanam, & quæ in rerum natura non erat. *Idolum enim nihil eſt*, ait Apoſtolus. At ima- 1. Cor. 8.
gines vel ſtatuæ ligneæ Chriſti & Sanctorum non habentur à nobis pro dijs, ſed pro creaturis repræſentantibus id quod eſt, hoc eſt Chriſtum & Sanctos, qui ſunt. Et ideò *lignum* in illis non eſt *eruditio vanitatis*, ſed veritatis. Vnde ſi adoleſcentulus aliquis in ditionibus Zuinglianorum educatus, incidat in imaginem Chriſti crucifixi, & ignoret quid illa ſignificet, admonitus à Catholico, ſtatim diſcit, quemadmodum Chriſtus fuerit crucifixus; quam eruditionem vel ſcientiam omnibus ſcientijs antepoſuit Apoſtolus; *Non iudicaui*, inquit, *me ſcire ali-* 1. Cor. 2.
quid inter vos, niſi IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum.*

Nec aliter locus Leuitici intelligendus eſt, quàm de lapide picto vel ſculpto, qui pro Deo habebatur, & diuino honore afficiebatur. Hæc enim ſunt verba Dei. *Ego Dominus Deus veſter. Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter*; quaſi dicat; Lapidem quidem pictum vel ſculptum poni, abſolutè non prohibeo, (mandaui Leu. 26. Exo. 4. 25.
enim alibi Moſi, vt faceret duos Cherubin aureos & productiles ex vtraque parte oraculi) ſed prohibeo eum poni eo fine, vt eum adoretis, vel diuinis honoribus afficiatis tanquàm Deum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter, non ille lapis pictus. Et ego ſum adorandus cultu latriæ, non autem lapis. Quare & in Decalogo non omnes imagines, vocat Deos alienos, ſed quæ pro dijs habebantur & ad cultum diuinum proſtituebantur, ſiue ſint eorum, quæ ſunt in cœlo, ſiue eorum, quæ ſunt in terra, ſiue eorum, quæ ſunt ſubter terram. Cùr enim vocaret Scriptura DEOS alienos, ſi pro talibus non habebantur? Cùm ergò imagines noſtras nullo modo pro dijs habeamus, quo ſenſu vos illis tribuitis nomenclaturam Deorum alienorum?

De Conc. Elibertino non admodum laboro, quia in eo quædam alia à paucis Epiſcopis decreta ſunt parum Chriſtianæ doctrinæ congruentia. Neque in eius autoritate niti potes, niſi velis tuis miniſtris, & ſuperattendentibus adimere cariſsimas vxores. Prohibent enim Patres eius Concilij *omnibus Epiſcopis & presbyteris Matrimonij vſum.*

Deinde placidum illud, quod tu non aduertiſti, magis valet ad confirmandum vſum & cultum imaginum, quàm tollendum. *Placuit*, inquiunt, *picturas in Eccleſiis eſſe non debere*. Erant ergò vſitatæ picturæ in Eccleſijs. Addunt; *Ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Colebantur ergò & adorabantur imagines vel rectè Sancti. Sed nolebant pingi IN PARIETIBVS, tùm quod facile humore & ſitu in illis corrumpantur; (quo fine & Imperatores quidam vetuerunt ſculpi ſignum crucis in pauimento, ne conculcaretur. Et noſtra ætate ſanctiſsimus Cardinalis Borromæus in Synodo Mediolanenſi, à Pont. Max. Gregorio XIII. approbata, decreuit imagines crucis è pauimento eradendas) tùm quòd facilè, vt illis temporibus, quibus adhuc perſecutiones vigebant, ab impijs indignè tractari potuerint. Quo decreto venerationem imaginum potiùs confirmârunt, quàm ſuſtulerunt. Nam certè plus veneratur imagines, qui vult eas honeſto loco depingi, quàm qui eas vel pulueribus obſitas, vel mutilas, & ſordidas in templis relinquit.

[...]b. 1. Cod. tit. 8. [...] cum ſit nobis [...]aulus Diac. l. 18 [...]erum Roman.

Pag. 44. At DEVS *vult nos* SVRSVM *corda tollere, vult in cœlis non in imaginibus inuocari.* Ita eſt. Nos quoque ſurſum corda tollimus ad Chriſtum, & ſanctos degentes in cœlis, dùm eorum imagines veneramur. Nec enim imaginum veneratio in ipſis ſiſtit imaginibus, ſed porrò progreditur ad prototypum imaginibus repræſentatum. *Idem enim eſt motus*, inquit Ariſtoteles, *in imaginem, & id, cuius eſt imago.* Et certè, vt imagines omnes externæ, quæ ſub ſenſum cadunt, è medio tollantur, tamen ſine imaginibus internis mentis ſurſum corda ad Deum, Chriſtum, vel ſanctos inuocandos attollere non poterimus; nec enim poteſt aliquid inuocari in cœlis, niſi menti ſpecies vel imago aliqua, tùm cœlos, tùm ea, quæ in cœlis ſunt, qualitercunque repræſentans, objiciatur. Tandem his verbis Antiroſarium tuum concludis.

Lib. de mem, & reminiſc.

CALVINISTA
concludit.

Pag. 44. ET *ſic Dei beneficio ad finem perduximus diſputationem iſtam, non tam argumentis difficilem, quàm nugis & blaſphemijs moleſtam.* Nos verò Dei beneficio & auxilio B. Virginis patronæ noſtræ ad finem perduximus diſputationis tuæ refutationem, non tam argumentis

mentis difficilem, quàm mendacijs, calumnijs, nugis & blaſphemijs moleſtam. *Voluit Magiſter noſter demonſtrare, inquis, Ritum precandi Roſarium B. Virginis non eſſe ſuperſtitioſum, & quò id commodiùs faceret, h. e. quò faciliùs falleret imperitos, diſcerpſit Roſarium in quinq; partes: quibus tamen poſteà alias quatuor addidit: & de ſingulis ſeorſim egit: cùm tamen non de ſingulis ſeorſum, quales ſint: ſed de omnibus inter ſe coniunctis, qualenám monſtrum efficiant, initiò ſit quæſitum.*

Immò verò voluit quidem ſtudioſus noſter, Apodixin meam de Ritu precandi Roſarium labefactare, ſed id ne commodè facere poſſet, oſtendi omnia & ſingula, quæ Roſario ceu eſſentialia quædam attribuuntur, ſuperſtitione vacare. Hac enim partitione, vt res ipſa declarat, fractus eſt hæretici impetus. Deinde alia quædam accidentalia vel acceſſoria Roſarij ab eadem nota ſuperſtitionis vindicaui, vt ſanctiſsimus ille precandi ritus magis immunis eſſet ab aduerſariorum calumnijs, ſicut & fuit à tuis, vt Lector æquus fatebitur.

Et cognouit Lector, quomodo circa nomen Roſarij ineptiuerit; quàm ſacrilega audacia orationes Dominicas Mariæ offerendas aſſeruerit; quantam idololatriam per Salutationem angelicam exercuerit: quanta cum contumelia Chriſti Mariam mediatricem conſtituerit: & pro annumeratis, calculatisq; ſuis precibus remiſſionem peccatorum poſtulârit. Pag. 45.

Lector, inquam, abundè cognouit, quomodo de nomine Roſarij ex Lexicographis ineptiueris, quàm proiecta impudentia orationes Dominicas ad Mariam à nobis recitari aſſerueris, quàm indoctè Salutationis angelicæ vſum idololatriam vocaueris: quanta cum contumelia Chriſti, matrem Dei pro nobis orare poſſe negaueris, quàm falsò ſcripſeris nos pro numero precum remiſsionem peccatorum poſtulare. Habesné aliud? Quæſo te adde colophonem, nam nauſeat anima mea ad hanc Recapitulationem.

Quantam, inquis, *iniuriam autori Decalogi & Symboli ligneo ſuo compendio fecerit, quàm manifeſtum crimen falſi in cultu Sanctorum noui teſtamenti libris infarciendo commiſerit, quàm nefando ſcelere indulgentias, in quibus merita Sanctorum in nobis redimendis cum meritis Chriſti copulantur, approbârit, quanta deniq; cum ignominia Dei, venerationem imaginum & ſtatuarum confirmârit, præter & contra Verbum Dei; quod ſolùm continet normam piè beateq; viuendi: & ſecundum quod nos,* SOLVM *Deum inuocamus: in nomine vnigeniti filij ipſius Domini noſtri* IESV CHRISTI*: qui ſolus nos redemit, & adhuc cauſam*

noſtram agit apud Deum, preceſq; noſtras non numero æſtimatas, ſed odore ſacrificij ſui delibutas offert Patri, & gratiam ab ipſo nobis impetrat; non vt deinceps ſecurè peccemus: ſed vt ſine metu ipſi ſeruiamus cunctos dies vitæ noſtra hic & in cælis. Amen.

Satis, inquam, Lector cognouit, quot & quanta myſteria aureo Roſarij compendio continentur; quomodo veneratio ſanctorum veteris nouiq; teſtamenti libris valdè ſit conſentanea; quàm ſalutaris in vulgus ſit Indulgentiarum vſus: quàm parùm intelligat articulum Symboli apoſtolici, de communione ſanctorum, qui negat ſanctorum merita copulanda eſſe cum meritis Chriſti, riuulos fonti, ad expiandas peccatorum pœnas; quanta cum diuini nominis, ſanctorumque gloria veneratio imaginum in Eccleſia retineatur; quàm denique hæc omnia bellè conſentiant cum Verbo Dei rectè intellecto, cum traditionibus apoſtolicis, cum doctrina, exemplo & conſuetudine ſæculorum omnium: ex quibus ſolis norma piè beateque viuendi, & Deum ſanctoſque inuocandi in nomine vnius Mediatoris noſtri IESV CHRISTI, petenda eſt; qui ſolus nos redemit, & adhuc cauſam noſtram agit apud Deum, preceſque noſtras & ſanctorum ſiue certo, ſiue incerto numero recitatas, & odore ſacrificij ſui delibutas offert Patri, gratiamque ab ipſo nobis impetrat; non vt deinceps ſecurè peccemus, ſed vt cum timore & tremore ipſi ſeruiamus, beatiſsimæque Virginis Mariæ omniumque Sanctorum precibus adiuti gratiam in hoc ſæculo, in futuro verò vitam æternam conſequamur.

A M E N.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Laus Deo Deiparæque Virgini Mariæ.

Errata ſic corrigenda ſunt.

Pag. 16. Verſ. 1. Ne, *poſitum pro*, Nec. *Ibid. V. 22.* Putabis, *pro*, Putabas,. *P. 30. V. 2.* tum, *pro.* tuum. *Ibid. V. 6.* redemptorio, *pro*, redemptoris. *Ibid. V. 18.* facturas, *pro*, facturos. *(vtroq; loco) P. 57. V. 21.* Iſaia, *pro*, Iſaiæ *P. 58. V. 15.* Spirium, *pro*, Spiritum. *P. 66. V. 28.* gignora, *pro*, pignora. *P. 67. V. 2* præſentiam, *pro*, pœnitentiam. *P. 72. V. 5.* tibi, *pro*, ſibi. *P. 74. V. 1.* habueurnt, *pro*, habuerunt. *P. 85. V. 25.* precandi, *pro*, peccandi *Reliqua, ſicut & accentus, ſi quando malè notati ſunt, diligens Lector facilè emendabit.*